

PONTANO

ERIDANUS (1808 vers)

LIBER I

AD ERIDANUM

E1_01 v.1 Caeruleis generose vadis, rex divitis agri,
 2 Gallica qui medio flumine regna secas,
 3 Heliades cuiserta parant, venerantur et amnes,
 4 Nereus et placidis accipit hospes aquis,
 5 nympharum cui dia choros Ferraria mater
 6 ducit, et ad thalamos uxor amata canit
 7 (non Charites desunt illi, non carmina Musae
 8 culta negant, dulcis gratia in ore sonat ;
 9 tum tibi per tacitas serpit nova flamma medullas,
 10 ureris, et medio fervet in amne calor),
 11 salve, amnis, salve, Hesperidum regnator aquarum,
 12 cujus et in caelo flumina nota micant.
 13 Te propter fontesque tuos nitet aureus ille,
 14 vina Jovi gelidis qui sua miscet aquis,
 15 te propter jaculumque ferus clipeumque reliquit,
 16 dum stupet ad Veneris gaudia prima deus.
 17 Siccabat madidos Venus aurea forte capillos
 18 nuda quidem, si non parte tegatur aquis ;
 19 pectus aquis tegitur, cervix humerique superstant,
 20 sullevat effusas sedula dextra comas,
 21 ima papillarum tegitur pars, eminent illa,
 22 Punicea Charites quam coluere rosa ;
 23 candorem referunt undae, micat aura capillo,
 24 singulasub vitrea membra notantur aqua.
 25 Ipsa sua dea dote sibi blandita superbit :
 26 "Mirum, ait, est, nostro si quis amore calet ?
 27 Mirum, si caelo regnat Venus, inter et arma
 28 conqueritur nostras ferreus ille faces ?
 29 Quid nunc, si videat ? Quos sentiat ipse calores,
 30 abjiciat vel nunc arma quirimque suam."
 31 Dicebat, siccamque comam studiosa ligabat,
 32 nam Charites molli litore somnus habet.
 33 Prodit ab insidiis juvenis, prensatque paventem,
 34 implicat et cupida candida colla manu ;
 35 ter collo dentem impressit, ter utrumque labellum
 36 strinxit, et audaces huc agit, hucque manus.
 37 Illa dolet gaudetque simul, refugitque, cupitque,
 38 vim nollet, vellet sed sua furta tegi,
 39 oscula nunc offert, nunc aversatur amantem,

40 et miscet blandis tristia verba jocis.
 41 Ad votum properabat amans. Strepere salicta
 42 proxima, sollicitum qua movet aura nemus :
 43 expavere simul, simul et latuisse volebant,
 44 sed nec quo fugiant quove tegantur habent.
 45 Ipse deos miserans atram de gurgite nubem
 46 objicis, et latebris abdis opace tuis.
 47 Illic securo venere ad gaudia cursu,
 48 mille modos matri dulce retexit Amor.
 49 Dic, Mars, dic, Gradive, potens ubi cuspis, ubi hasta ?
 50 Scit Venus ; ad ripas illa relicta jacent,
 51 illa puer Veneris tractat, ridetque ; sed ipse
 52 in Veneris mavis bella movere sinu.
 53 Bella move, nunc, dive, sapis, nunc consere pugnas ;
 54 hostis adest, tamen est praeposuisse torum
 55 deliciasque tori molles placidamque quietem,
 56 et dominae in tenero molle cubare sinu.
 57 Salve iterum, Eridane ; nam tu quoque jungis amantes,
 58 tu quoque concilias, quos suus urget amor ;
 59 tu vatem teneraeque senem placare puellae,
 60 et cupis, et ducis muneris esse tui.
 61 Ergo perpetuos Ticinus et Abdua fontes
 62 certatim et famulas Mela ministret aquas,
 63 volvat et assiduos Benaci e gurgite fluctus
 64 Mincius, Andaeo pota fluenta seni,
 65 ipse perennis eas, superesque et flumina et amnes,
 66 imperium norint aequora et ipsa tuum.

DE AMORE COLLIGENTE SUCCINA IN ERIDANO

E1_02 v.1 Eridani circum ripas alnosque virentes
 2 quaerit Amor tenera succina lecta manu ;
 3 quaerenti assurgunt ripae, Phaetontias arbor
 4 fundit rore novo, quae legat ipse puer.
 5 Dumque legit guttaeque manum puer admovet, ora
 6 exerit e tenui cortice nympha sua,
 7 quotque puer gemmas, totidem legit oscula virgo ;
 8 ridet Amor, ridet conscia nympha sibi.
 9 Naides ad risum coeunt, mirantur Amorem,
 10 quodque puer pharetram telaque adunca gerat.
 11 Sensit Amor, nervumque manu lunavit, et inquit :
 12 "Deque meis humeris missa sagitta ferit."
 13 Illa volat, fulxere aurae rutilante favilla ;
 14 hauserunt virides tela corusca deae,
 15 inque choros cantusque abeunt. Climenia virgo
 16 prodit ab excluso lapsa repente libro,
 17 inque sinu puero fruitur, caluitque fruendo :
 18 miscet Amor lusus blanditiasque suas.
 19 Caerulus ut videt ipse deus, complexus utrumque
 20 condit nube cava, rorat et amne suo.
 21 Dum ludunt, pendentque arcus electricle in umbra,
 22 prendit Stella manu, spiculaque apta legit,
 23 altera, quis urat longe et male figat amantem,
 24 altera, quis medico vulnera rore lavet.

25 Mox strinxit telum Idalium, fixitque sagitta
 26 meme, audax. Vati parce nocere tuo,
 27 parce, puella, seni. Cur non jacis altera tela,
 28 et vulnus medico rore, puella, levas ?
 29 Ure ferox, facilisque medere, utque aurea virgo
 30 hinc saevis, illinc mite levamen ades,
 31 ure simul, medicare simul. Nihil ipse recuso :
 32 non ferrum, non me mista venena movent.

DE VENERE AMOREM QUAERENTE

E1_03 v.1 "Dicite, Nereides, (nam vos quoque procreat unda)
 2 anne aliquis vestris sit puer hospes aquis ;
 3 matris vos miserae moveat dolor et labor, illum
 4 anxia tam longa quae sequor usque via.
 5 Ipse puer nudusque abiit nec cognitus ulli,
 6 quique meo numquam cesserat ante sinu :
 7 maternis fotum mammis fotumque sub ulnis,
 8 hei mihi quis fluctus, quae fera syrtis habet ?
 9 Forte Paphi in luco, rivi crepitantis ad undam
 10 dormieram, atque inter brachia natus erat ;
 11 effugit e gremio fallens ; ipsa excita somno
 12 hinc nemora et saltus, hinc loca culta peto.
 13 Offertur nusquam terris ; ingressa profundum
 14 advenio vestras heu Venus illa domos
 15 sicca siti, squalensque situ, defessa viarum ;
 16 non comes, aut hospes, non mihi tecta patent :
 17 et tamen hinc fama est dici Vulcanida terram,
 18 is deus est, pietas hic sua jura tenet.
 19 Dicite, Sicelides, si qua latet, heu, mea cura :
 20 anne aliquis vestro delitet amne puer ?
 21 Sic vobis in amore fides stet semper amantum,
 22 Pax sit et a Libyco litore et Ionio."
 23 Miscet et his lacrimas. Tum sic miserata Charybdis,
 24 pube tenus nudo pectore, blanda refert :
 25 "O dea (namque deam testantur singula), mecum est
 26 ipse puer, lacrimis tu modo parce tuis."
 27 Illicet emicuere faces, sonuere pharetrae
 28 telaque venturi nuntia signa dei ;
 29 mox thalamo exsultans prodit puer et quatit alas,
 30 Nereidas tacito vulnere pungit Amor :
 31 litus amat, caluere undae, caluere natantes,
 32 mater adest facibus, natus adest pharetris.
 33 Exsilit in puerum genitrix, exceptus et ille
 34 in gremio risus hinc movet, hinc lacrimas :
 35 exsultat litus, ridet mare, blanda Charybdis
 36 haec ait, horrisoni conticuere canes :
 37 "Hunc tibi, diva potens, proles Jovis, auctor amandi,
 38 restituo ; tua me, te mea cura premat.
 39 Accepi infantem, blandum do, pro rude doctum,
 40 proque fide fraudem, simplicitate dolum,
 41 pro lacrimis risum docui, pro melle venenum
 42 miscere, alternas et variare vices,
 43 nunc placidam blandis pacem promittere ocellis,

44 nunc trucibus mentes sollicitare modis,
 45 nil constans, nil perpetuum servare, nec ulli
 46 parcere, in incertum fasque nefasque sequi."
 47 Talibus instructum memorat longaeva Charybdis
 48 caeruleo flavas humida rore comas ;
 49 Nereides puero assurgunt, ast aurea mater
 50 Zancleam ambrosio spargit honore deam,
 51 perpetuamque illi speciem viridemque juventam
 52 esse dedit, Siculam moxque salutatur humum.
 53 Gratatur terrae, natum quae fovit, et inquit :
 54 "Terra ferax segetum, daedala terra virum,
 55 vos numeros celebrate meos et nomen amandi,
 56 deque meo fiat numine clarus Eryx."
 57 Haec ait, et niveis volucrum sublata quadrigis
 58 laeta petit portus, Cypria terra, tuos,
 59 quaque volat Zephyri dominam comitantur, et aerae,
 60 stillat Acidalius rore fluente liquor.
 61 Excepere deam Charites ; sua redditur aris
 62 Gratia, in amplexu matris inhaeret Amor.
 63 At tu Pieridum studiis, cultissime Carbo,
 64 nanque et amas, facito sit tibi notus Amor,
 65 sint notae maris insidiae, sit nota Charybdis
 66 cincta sinum canibus, virginis ora ferens.

ALLOQUITUR PASTORES

E1_04 v.1 Pastores, cohibete gregem, procul ite, capellae,
 2 ite citae : en flammam pectora nostra vomunt,
 3 flagrat ager, suspensa volant incendia ventis,
 4 ipse et Amor flammam ventilat, ipsa Venus.
 5 Affer opem, Eridane, fluviosque immitte citatos ;
 6 si non, et fluvios haec mea flamma voret.

ALLOQUITUR AVES, DEINDE PECUDES

E1_05 v.1 Quid querulae arboribus strepitis, quid murmura, silvae,
 2 vestra sonant, mox et triste siletis aves ?
 3 Scilicet et tepido soles auramque Favoni
 4 optatis, dum ver pectora laeta fovet,
 5 dum faculas Venus accendit, dum ventilat ignes,
 6 dumque Amor e plena tela jacet pharetra ?
 7 Me miserum, quid ver, Veneris quid quaeritis ignes ?
 8 Has faculas, hoc ver pectora nostra dabunt.
 9 Quaerite, aves, qua nostra volant suspiria, et illic
 10 membra fovete igni, corda adolete face ;
 11 qua volitant, illic fervent incendia, et illic
 12 excitat igne faces, temperat arma Venus.
 13 Quid maestae in stabulis, pecudes, frondentia veris
 14 tempora et optatis florida prata sequi ?
 15 Frigoribus mediis, media nive gramina vobis
 16 praebuerim, e lacrimis gramina nata meis :
 17 e lacrimis sata prata meis, frondentia rura

18 perque gravis hiemes frigora perque virent.
 19 Has Amor, has dolor, ipsa Venus sine fine ministrat,
 20 et sine fine quidem pabula nostra virent.
 21 Pascite, pascendo crescunt sata, crescit et humor :
 22 jam mihi crescit amor, crescit et usque dolor.

ERIDANUM ALLOQUITUR

E1_06 v.1 Fontis Acidalii laticem Venus aurea liquit
 2 et Paphias myrtos Idaliumque nemus,
 3 Eridanus dominae tantum placet. Hanc colit amnis,
 4 hanc deus et latis Naides in lacubus,
 5 huic aras posuit centum Ferraria, centum
 6 culta Cremona, et avis Mantua nota suis.
 7 Eridanus Veneri (quis credat ?) sufficit ignes,
 8 sufficiunt plenis flumina gurgitibus.
 9 Parce, pater, flammis, ignemque averte sagittis,
 10 sed flammae et pharetris rore medere tuo.

AD STELLAM

E1_07
 v.1 Non Alpes mihi te, aut vasti maris aequor, et ipsae
 2 eripiant Syrtes, nam mihi semper ades.
 3 Mecum de summa specularis litora puppe,
 4 et mecum longas isque redisque vias,
 5 mecum compositis haeres moritura lacertis,
 6 si pontus, si quid saeva minatur hiems,
 7 mecum quoque loco, quicquid fortuna pararit,
 8 quicquid ago, mecum es, nec nisi semper ades ;
 9 tu curis solamen ades requiesque labori,
 10 et quia semper ades, nil nisi dulce mihi est.
 11 Quod, siquando absis, et te jam, Stella, requiro,
 12 sive dies, seu nox, sponte videnda venis.
 13 Nam, cum sol primos effert pulcherrimus ortus,
 14 Aurorae in gremio tu mihi mane nites ;
 15 illic purpureasque genas roseumque labellum,
 16 delicias video pectora et ipsa meas,
 17 oraque in ore deae cerno tua : tu mihi rides,
 18 sentio de risu gaudia mille tuo,
 19 ipsa mihi dicis : "Jungo mea gaudia tecum ;
 20 dum loqueris jungo basia nostra tuis."
 21 Inde, ubi per medium rapitur sol aureus orbem,
 22 aurea te nobis solis imago refert ;
 23 illius in radiis video rutilare capillum,
 24 et tua Phoebeo splendet in igne coma ;
 25 quacumque aspicio, lux te mihi, tu mihi lucem
 26 offers, nec sine te luxve diesve mihi est.
 27 Tandem, ubi sidereis nox advenit acta quadrigis
 28 clarus et occiduo Vesper in orbe nitet,
 29 ora refert tua nunc mihi candida lucidus Hesper,
 30 in Veneris specto te recubare sinu ;

31 Hic risum illecebrasque tuas, hic oscula nosco,
 32 lusisque et gratis abdita signa notis,
 33 inque tuis oculis figo mea lumina, et usque
 34 admoveo collo brachia lenta tuo.
 35 Tum nova me, vetus ipsa tamen, subit ante voluptas,
 36 praeteritique memor mens favet ipsa sibi ;
 37 mox sopor irrepit membris, sopor ultima praebet
 38 gaudia, teque meo collocat ipse sinu,
 39 amplectorque, tuis innexus et ipse lacertis :
 40 sic nullum sine te tempus et hora mihi est.

DE STELLA

E1_08 v.1 Nostra die quod Stella nitet, quod nocte refulget,
 2 solem Stella die, sidera nocte refert.
 3 Nocte eadem surgente nitet, cedente refulget,
 4 Phosphoron hic, illic Hesperon ipsa refert.
 5 Ergo eadem mihi sol, eadem mihi sidus, et una
 6 Lucifer est, eadem Vesper et una mihi.

AD STELLAM

E1_09 v.1 Ad cenam me, Stella, vocas et gaudia lecti,
 2 mensa mihi posita est compositusque torus,
 3 ipsa ministrabis simul et simul ipsa recumbes,
 4 et dabis in medio basia multa mero.
 5 Cena placet. Venio. Ponam sed foedera lecti :
 6 me tua cena juvat, tu mea pacta proba.
 7 Prima cuba, nec nuda tamen ; tenuissima sed te
 8 tela tegat, Cyprio tela liquore madens.
 9 Ipse sequar. Tu me amplexu placidissima blando
 10 excipe, et in tepido (qua potes) abde sinu ;
 11 Oscula mox junge, cupidus imitata columbas,
 12 oscula non uno continuata modo.
 13 Muta venus mihi nulla placet : suspiria misce
 14 aptaque lascivis garrula verba jocis ;
 15 nec manus officio desit, manus aemula linguae est ;
 16 haec tactu venerem suscitatur, illa sono.
 17 Gaudia Amor probat haec ; verum, si rixa sequatur,
 18 quam dens, quamve aliquid moverit ausa manus,
 19 auctor ero rixae. Tu mox offensa quereris,
 20 unguibus et scindes pectora nostra tuis ;
 21 scindam ego nunc tunicam, subducta et veste papillas
 22 nuda eris, et nullo tegmine bella geres.
 23 Ipsa manum collo injicies, super ipsa recumbes,
 24 verbera et ipsa dabis, verbera et ipsa feres ;
 25 dente petes, ego dente petam ; demorsa dolebis,
 26 ipse querar, lacrimae prona per ora cadent.
 27 Tum supplex veniam grata cum pace rogabo ;
 28 ipsa dabis, simul et basia multa dabis ;
 29 basia multa dabo, jungam quoque munera pacis,
 30 munera complexo ter repetita sinu.

31 Hoc est pacis opus, sunt haec sua foedera lecti :
 32 subscribas ; per me nulla futura mora est.

AD STELLAM

E1_10 v.1 In tenebris, mea Stella, nites, dum sidera pallent,
 2 et nox ipsa tuo lucida honore placet ;
 3 in medio, mea Stella, die sub sole nitescis,
 4 clarior et per te solque diesque venit.
 5 Sic es sideribus decus addita matutinis,
 6 et radiis debent solque diesque tuis.
 7 Sed cur, quae tenebris honor es, decus una diebus,
 8 cur lumen nobis nocte dieque negas ?
 9 Nocte negas foribus clausis, in luce fenestris :
 10 o tenebrae, non jam stellave luxve mihi.

DE PHOENICE AVE ET DE AMANTE

E1_11 v.1 Seligit e silvis Arabum lucisque Sabaeis
 2 quos Phoenix ramos ad sua busta paret,
 3 instruit his nidum, nido mox incubat ales,
 4 incubitu flammam excitat inde suo ;
 5 uritur hinc, cinerique suo fit et inde superstes,
 6 ipse sibi est ortus, ipse sibi est obitus.
 7 At contra e curis gravioribus atque dolorum
 8 seligit e cumulo quis foveatur amans,
 9 incubat his gaudetque malis, fruiturque, doletque,
 10 hinc moritur, post haec ad sua vota redit.
 11 Ille tamen post mille annos, post secula dena,
 12 ast hic quoque die nascitur et moritur.

ALLOQUITUR HELIADES SORORES

E1_12 v.1 Quid maestae, quid caerulea sub fronde, sorores,
 2 lugetis, miseros anme juvante modos ?
 3 An fratrem Phaetonta, vagis quod tractus habenis,
 4 ah miser, externis exulet ipse locis ?
 5 Hinc electra fluunt, lacrimosaque gutta rigescit,
 6 hae lacrimae, hi luctus succina lenta ferunt.
 7 Flete, piae, lugete, piae Phaethontides, et me
 8 vel socium vestris luctibus accipite.
 9 Si desint vobis lacrimae, si desit et imber,
 10 ipse quidem lacrimae, luctus, et imber ero ;
 11 per me etiam Eridanus crescet stagnantibus agris,
 12 finis enim lacrimis nulla futura meis ;
 13 per me etiam ripae mittent incendia, flagret
 14 amnis, et in medias ignis iturus aquas.
 15 Cedite, cultores ; ripas et flumina jam jam
 16 usta dabo, in flammam ibit et omne nemus.

STELLAM ALLOQUITUR

E1_13 v.1 Quale per aestatem, sub sole rigentibus herbis,
 2 blanditur lapsis aura recens foliis,
 3 quale per arentes hortos in vere tepenti
 4 nox mulcet teneras rore madente rosas ;
 5 tale mihi, dum mens languet, dum pectora fervent,
 6 nostraque in incertum vela gubernat Amor,
 7 tale seni solamen ades mihi dulcior Hyblae,
 8 Stella, favis, umbra gratior Idalia.
 9 Aura recens nam, Stella, mihi flagrante sub aestu,
 10 ipsa meos ignes rore madente levas ;
 11 e labris mihi ros, ex ore recentior aura
 12 spirat, Stella, tuo, stillat et ipse liquor.

AD ANTIMACHUM MANTUANUM, DE AMORIBUS MINCII AC DE VIRGILIO

E1_14 v.1 Ducebat choreas Veneris puer inter olores,
 2 Eridanus placidis qua nemus ambit aquis,
 3 Naides et sociae varia sub veste Napaeae
 4 fundebant raris carmina culta modis ;
 5 ipse manu rutilam gestabat ab aere sagittam,
 6 et levis instabili sub pede pulsat humum,
 7 quaque movet pennas, tremulae stridere favillae,
 8 perque leves frondes sparsilis aura micat.
 9 Eridanus spectat flamenti crine superbus,
 10 populeo madidum cinctus honore caput,
 11 Mincius et spectat varianti laetus amictu,
 12 Mincius Ausoniae clarus honore tubae,
 13 spectat arundineo formosus Mela galero,
 14 dives et undosis Abdua gurgitibus,
 15 quique amnes socii regem venerantur, et ipsi
 16 quique scatent fontes, quaeque palustris aqua.
 17 Ecce autem niveis cygnus se sustulit alis,
 18 cygnus olorini duxque, decusque chori,
 19 deque manu pueri rostro plaudente sagittam
 20 eripit, et cantu sidera summa petit.
 21 Concepit flammam ferro stridente sagitta,
 22 gaudet olor, fraudem ridet et ipse puer,
 23 inque sinum Minci rutilis delapsa favillis
 24 afflavit tenero fulgida amore senem ;
 25 hinc in Pasyalen telo flammante reluxit,
 26 Pasyale vulnus sensit et ipsa suum.
 27 Instauravit Amor choreas, suspirat uterque,
 28 cantat olor, cantu consonat omne nemus,
 29 senserunt flammam ripae, sensere salicta ;
 30 infantem decimo sidere nympa parit.
 31 Excipit hunc, tepidoque sinu complexa, Melisse
 32 blanda fovet, blandis conciliatque jocis
 33 instratum lauri foliis somnoque gravatum,
 34 tutanturque et apes labraque melle linunt.
 35 Hinc Musae placidis salicum docuere sub umbris,

36 Sebethus liquidis qua fluit uber aquis ;
 37 inde, specu exceptus, viridisque in rupe Vesevi
 38 pastor agens cecinit : "Tityre, coge pecus,
 39 huc ades, o Meliboee, caper tibi salvus, et hedi ;
 40 ite domum saturi, nox venit, ite, greges."
 41 Post laetas segetes, quo sidere vertere terram
 42 conveniat, baccho qui sit et aptus ager,
 43 cura boum quae sit, pecori quis cultus habendo
 44 et docuit pressis mella liquare favis.
 45 Felix arborum cultu, felicior armis,
 46 dum profugum Aeneam, dum canit arma virum,
 47 illi Vulcanus clipeum, sua Mulciber arma
 48 aptat, et in classem corrui omne nemus.
 49 Illi fatorum seriem gentisque togatae
 50 Deiphobe Glauci monstrat et omne genus ;
 51 inde sedens ebore in niveo Sebethida ad undam,
 52 colligit Etruscas Marrubiasque manus :
 53 agmen agit Lausus, magnique ipse agminis instar,
 54 attrituque pedum terra Sabina tremit,
 55 et, quotiens raucum gemuit cava buccina, matres
 56 presserunt natos pectora ad ipsa suos.
 57 O salve, Italidum gentis decus, in Latium qui
 58 Aonio ducis vertice Pieridas,
 59 salve et Idumaeas debet cui Mantua palmas,
 60 cui Phoebus Latio vestit honore comam ;
 61 sparge, Charis, roremque tuum Syriosque liquores,
 62 Parthenope, violas, Mantua, funde rosas.
 63 Ipse aram statuens vati venerare Camoenas,
 64 Antimache, et patriae concine grata tuae,
 65 quae puerum genuit, cujus sub voce locutae
 66 Pierides nostrum constituere decus.

DE INFELICITATE AMANTUM

E1_15 v.1 Cantando luces peragit sub fronde cicada,
 2 et mulcet silvas carmine laeta suo,
 3 at tenebras sub rore levi, sub deside somno
 4 transigit et noctes, nocte juvante, suas ;
 5 cantando moritur, sentit nec taedia mortis,
 6 quin cantu vitam ducit, et exequias ;
 7 o felix ortu, interitu felicior. At me
 8 et nox nigra gravat, vexat et atra dies.
 9 Ante fores jaceo gelidae sub frigora brumae,
 10 nec pudet aetatis Pieridumque senem ;
 11 ante fores, sub sole, Leo dum fervet et ignis
 12 ustulat Icarus, conqueror usque senex.
 13 Uror amans, tabesco senex ; lux omnis amara,
 14 nox inimica mihi est, noxque diesque nocet.
 15 Sors juvenum miseranda, senum deflenda, cicadae
 16 sors felix : o jam discite quid sit Amor.

QUERITUR DE ERIDANO

E1_16 v.1 Et caelo Eridanus candenti sidere fulget,
 2 et terris stella candidiore nitet ;
 3 illic igne suo miscet cum nectare lymphas,
 4 Hic flammam fluvio fervidus igne vomit,
 5 illic fundit aquas, hic ignes caeruleus amnis :
 6 me miserum, gelida qui cremer ustus aqua.

AD STELLAM

E1_17 v.1 Nudasti, mea vita, sinus et sponte papillas,
 2 admostique meam pectora ad ipsa manum,
 3 oraque cum teneris junxisti nostra labellis,
 4 sedistique meo sarcina grata genu ;
 5 cervicemque amplexa, levi mox victa sopore,
 6 concidis in nostrum languida facta sinum,
 7 longaque post fessos suspiria claudis ocellos,
 8 dum tibi sopitae serpit ad ossa quies.
 9 Ipse tibi tenuem procuro sedulus auram,
 10 composita et moveo lenia flabra manu,
 11 ipse tibi somnos cantu levo ; cantus amores
 12 Sarnidis et Fauni dulcia furta refert :
 13 "Faune, veni, tibi Sarnis adest ad flumina nota :
 14 ad notas salices, candide Faune, veni.
 15 Ecce tibi niveum violae cum flore ligustrum
 16 jungo, et puniceis lilia cana rosis,
 17 roscida servantur, legi tibi quae modo, fraga,
 18 fragaque quot totidem basia et ipsa paro.
 19 Huc ades, o formose, tibi nam nuper ad amnem
 20 siccavi meam disposuique comam,
 21 Pierides compserunt caput, dum corpus et ipsae
 22 et crinis flavos molliter amne lavant,
 23 inde comam Assyrio certatim unxere liquore ;
 24 inde Arabo nostrum spirat odore caput.
 25 Quin citharam docuere, et me fecere magistram,
 26 et data pro magno munere eburna chelys.
 27 Faune, veni, te Sarnis amat, suspirat et unum,
 28 et parat in niveo gaudia multa sinu,
 29 fistula te et calami vocitant, vocat aestus, et unda,
 30 auraeque, et murmur subsilientis aquae."
 31 His ego mulcebam somnos. Tibi purpura mollis
 32 tingebat niveas flore decente genas,
 33 qualis ubi ad thalamos Hebe deducta mariti
 34 ad cupidi erubuit basia prima viri.
 35 O quotiens sparsos, errant dum fronte, capillos
 36 collegi blanda disposuique manu :
 37 sic Lede placitura fuit, sic uxor Orestis,
 38 atque Helene, dixi, sic quoque culta fuit.
 39 Et modo compositum rejeci in colla capillum,
 40 et dixi : hac placuit Laodamia coma.
 41 O quotiens teneras variavi flore papillas,
 42 et dixi : Charites sic coluere sinum ;
 43 ornabam gemmis digitos : ad Pelea quondam

44 vecta Thetis, niveam sic tulit ipsa manum ;
 45 brachia nudavi : Aurorae sunt brachia, dixi ;
 46 admovique cavae roscida poma manu :
 47 sic rear ad virides myrtus requiesse Dionem,
 48 poma manu Paridis dum tenet illa sui,
 49 ipsa sinu ambrosiam spirat, perque ora recursant
 50 blanditiae et grato mistus honore decor.
 51 At tibi perque genas, roseisque infusa labellis,
 52 ludit et in tenero gratia amica sinu,
 53 et, quotiens blandos somno recludis ocellos,
 54 crediderim vel te posse movere deos.
 55 Quosque moves ; verum custodia nostra tuetur,
 56 teque meo patior non abiisse sinu.
 57 Tunc ego non suxisse quidem, libasse labellum,
 58 sed tibi sopitae nil nocuisse velim ;
 59 sic levis ad summum florem de rore liquenti
 60 libat, et e tenero gramine lingit apis.
 61 Oscula libabam, quae tu, velut excita somno,
 62 excipis atque aliquid velle videre loqui ;
 63 velle loqui dum visa, simul dum basia carpo,
 64 auroque de molli ducitur ore mihi,
 65 dum ludo improbius, tua duriter ora momordi :
 66 hei mihi, clamasti ; sic jubet ipse dolor.
 67 Hei mihi, clamavi, parcas mitissima, dixi.
 68 Parcis, et in solito es blanda refusa sinu,
 69 colla notas et labra notas ; mox ultra dolorem
 70 risisti, et gratos movit uterque jocos.

AD STELLAM

E1_18 v.1 Stella, tibi caelum patria est, hinc clara refulges.
 2 Si tibi terra domus sit, domus Assyria est ;
 3 Assyrios etenim spirat tibi pectus odores,
 4 Assyrius mollis stillat ab ore liquor.
 5 Sin quia deliciae et veneres blandique lepores
 6 tecum habitent, patrii sit tibi terra lares,
 7 ipsa domus patriique lares sit Cyprus, et una
 8 sit Veneri, atque eadem sit tibi, Stella, domus.

LACRIMAS AMORI, SUSPIRIA CUPIDINI DICATA

E1_19 v.1 Debentur Cereri segetes, debentur et horti
 2 Lampsacidae, flores, candida Chlora, tibi,
 3 mellaque debentur flavae thymbraea Melissa,
 4 in sortem cessit, Pallas, oliva tuam,
 5 sunt Zephyri faciles auroe blandique susurri,
 6 sunt fontes munus, casta Diana, tuum,
 7 munditiae Charitum sunt, oscula nubilis Hebe,
 8 Cypridis amplexus gaudiaque illa tori ;
 9 at lacrimas, questus, at suspirantia verba,
 10 has Amor assumit, illa Cupido sibi,
 11 crudelis vel uterque deus, sed blandus uterque,

12 Blandus uterque quidem, sed sine mente deus.

DE STELLA

E1_20 v.1 Stella mihi in tenebris fax est ad gaudia noctis ;
 2 hanc sequor, haec dux est, haec mihi certa via.
 3 Stella die in medio vox est ad gaudia lucis ;
 4 gaudia Stella die, gaudia noctis ea est.

DE VENERE ET AMORE

E1_21 v.1 Exhaustit pharetram Veneris puer, at Venus ignis
 2 extinxit ; Venus hinc, inde et inermis Amor,
 3 exhaustam hic pharetram, extinctas flet Cypria flammam,
 4 hic arcum lacrimis tingit, at illa faces.
 5 Neve, puer, neu fle, mater ; dant spicula mille
 6 Stellae oculi. Puer, his utere pro pharetra ;
 7 cum flammam mea corda vomant, his utere, mater,
 8 pro face, inexhausta tu face, et hic pharetra.

DE SE AC DE STELLA

E1_22 v.1 Surrisit, blandosque manu compressit ocellos,
 2 mox furtim infecit gutta iterata genas.
 3 Scilicet amplexus repetit dum Stella beatos
 4 osculaque et dulci garrula verba sono,
 5 risit, et argutos dextra compressit ocellos,
 6 delicias nosset ne qua puella suas.
 7 Mox, ubi demorsi succurrit triste labelli
 8 vulnus et insani plaga maligna joci,
 9 excivit lacrimas infelix ira coactas,
 10 et de me visa est non bona verba loqui.
 11 Di faciles, quid amara bonis, quid tristia laetis
 12 miscetis, curas ingeritisque novas ?
 13 O desint lusus, dum desit cura puellis ;
 14 dum lacrimae desint, ipse tepescat amor.
 15 Hosne oculos lacrimare, genisne inducere guttas ?
 16 Parcite, di : nil vos tam nova forma movet ?
 17 Sed lacrimare licet, lacrimis formosior ipsa es ;
 18 jam fluitent lacrimae, nunc mihi cara places.
 19 Fac lacrimas, fac ipsa genis manare fluentum,
 20 nostra se ut hoc ipso temperet amne sitis :
 21 amne sitim sedare licet, licet oscula furtim
 22 surripere, et lacrimis inseruisse jocos.
 23 Di faciles, miscere juvet nunc tristia laetis,
 24 oscula cum lacrimis, cum lacrimisque jocos ;
 25 dic mihi blanditias, dic suspirantia verba.
 26 Quid latet in tepido bella papilla sinu ?
 27 Da pectus tractare tuum niveasque papillas,
 28 o in delicias pectora nata meas.

29 Nunc liceat saevire, atque insanire. Volenti
 30 aspera, nolenti mollis et aequa veni ;
 31 nolentem cupidis vesana incinge lacertis,
 32 oscula nolenti, dum vetat, ipsa rape.
 33 Nunc cupio, nunc ipse velim : tu dura recusa,
 34 et mea vesanis unguibus ora pete.
 35 Dic tenerum, dic dulce aliquid. Quid vertis ocellos,
 36 teque meo lacrimans subtrahis usque sinu ?
 37 Pone iram et lacrimas. Sed te lacrimare decorum est :
 38 tu face, ut hae lacrimae nostra per ora cadant,
 39 tu face, ut has lacrimas siccem, face, ut oscula carpam,
 40 inque meos oculos, candida, fige tuos.
 41 Fixisti simul et rides ; nunc oscula junge ;
 42 oscula compositae pignora pacis eant :
 43 oscula complexu gaudent, pax gaudet utrisque,
 44 pace Amor exsultat, pace et amore Venus.
 45 Tu pacem, mea vita, colas ; recolamus amorem ;
 46 sic erit ex aequo mutua nostra Venus.

AD STELLAM

E1_23 v.1 Cum tenerum, cum dulce aliquid blandumque jocariss,
 2 ah, medio mihi tum corde liquescit amor.
 3 Spem mihi cum et cupidis pacem promittis ocellis,
 4 lux oculis, toto corpore sensus abit.
 5 Cum rides ignemque oculis vultuque fateris,
 6 mens animum, ipse animus pectora destituit.
 7 Amplexu jam, Stella, tuo succurre cadenti,
 8 ore animum et foveas, oreque redde animam.

AD STELLAM

E1_24 v.1 Libat apis de rore favos mellisque liquorem ;
 2 inde hominum mulsum, nectar et inde deum.
 3 De labris, mea Stella, tuis mihi mella liquescunt ;
 4 hic ros mella mihi stillat et iste favus,
 5 condit et his Venus ambrosiam. Mihi parcite, divae :
 6 sola Venus vera diffluit ambrosia.

DE SUSPIRIIS AMANTUM

E1_25 v.1 Distillat forte e tenui vagus omnis, et inde
 2 labitur effusis non reediturus aquis ;
 3 emanant corde ex imo suspiria, moxque
 4 conversa redeunt in sua corda via.
 5 Ex oculis lacrimae postquam fluxere, nec illas
 6 luminibus rursum restituere genae.
 7 Cur revocant ad se rursum suspiria curae,
 8 rursus et infestat tristia corda dolor ?
 9 Nulla quidem ratio est, etenim rationis amantes

10 expertes, omni caeca in amore via est.

DE ERIDANI FELICITATE

E1_26 v.1 Felices Hermi ripae ditante metallo,
 2 felicesque Tagi, quas rigat unda ferax,
 3 electro felix, felix Mantoide cera
 4 Eridanus, flavis qua petit aequor aquis.
 5 Electrum ramis stillant frondentibus alni,
 6 succinaque e lento cortice lapsa fluunt,
 7 fundit mella favis e dulcibus, eque liquenti
 8 rore premit tenera culta Melissa manu.
 9 Illa Bianoreis Minci pulcherrima ripis
 10 regna tenet mellis, pulcher Hymete, tui,
 11 regna tenet laticis, quem florida deliquat Hybla,
 12 Hybla favi et mellis dives et Hybla thymi.
 13 At longe superatque Hyblen superatque et Hymeton
 14 Eridanus, Cypria ditior ambrosia,
 15 ambrosia, teneris spargit quam Stella labellis,
 16 spargit et e roseo lucida nympha sinu,
 17 spargit et ex oculis. Ipsi mihi parcite, divi :
 18 Eridani sors est invidiosa deis ;
 19 Eridano assurgunt Musae, nova Mincius antro
 20 intonat et varios voce manumque modos,
 21 assurgunt Charites, ipsa et dea mater Amoris
 22 summittitque faces, signaque subdit Amor.

AD STELLAM DEPRECATIO

E1_27 v.1 Ne misero, ne, Stella, seni blandire. Quid ignem
 2 exagitas ? Facibus ne, precor, adde faces.
 3 Vis misero, vis ipsa seni indulgere ? Remitte
 4 blanditias, oculos et mihi dura nega,
 5 verba nega, vultumque nega, mihi dira precare :
 6 ipse precor, veniant omnia dira mihi.
 7 Peccatum est, mors poena mihi aut miserabile fatum ;
 8 nam veniae misero quis locus esse potest ?
 9 Sit pietas periisse reum : fecisse beatum
 10 ipsa cupis ? Miserum redde, beatus erit.
 11 Supplicium infelix a te pro munere posco :
 12 supplicium meritis grata repende meis.
 13 An potui immorsis dentem fixisse labellis ?
 14 An potui lacrimas dente ciere tuas ?
 15 Spectavi, flueret crudo dum vulnere sanguis,
 16 admovi jugulo tela nec ipse meo,
 17 spectavi exanimem, viso dum lapsa cruore
 18 concideres (viso namque cruore cadis),
 19 nec cecidi super ipse miser, nec vulnera lavi :
 20 hic error dira caede piandus erat.
 21 Forsitan aut lacrimas siccavi, aut denique dixi,
 22 ut misero parcas : "O mea, parce tibi ? "
 23 Quid tibi, dens, quid, amare, precer, cum ludere possis,

24 laedere qui malis, vimque in amore sequi ?
 25 Imprecor, ut qui regnat Amor nova ponat amandi
 26 jura, ferat leges et deus ipse novas,
 27 nullaque sint concessa viro, concessa puellis
 28 Oscula, contineat basia quisquis amat.
 29 I, saevi, dens saeve, i, dure, et consere demens
 30 proelia, nequitiae jam tibi finis adest.
 31 Tu vero, mea lux (etenim tibi mollia corda),
 32 parce, sed (ut fas est) utere jure tuo.
 33 Suge nota, fige impresso mala vulnera dente ;
 34 cavit Amor, capias oscula mille licet.
 35 Id tantum, formosa, vide, vesana, caveto
 36 (quam vereor, noceat ne dolor ipse tibi),
 37 dum saevis, dum dente furis, dum vulnera figis,
 38 livor et insanas linquit in ore notas,
 39 ne linguam nostris committas forte labellis,
 40 ne temere id, quod te laedere possit, agas.
 41 Nulla fides legi, valeat reverentia legum,
 42 culpa tua est, partes dens aget ipse suas ;
 43 nec sat erit suxisse genas, strinxisse labellum,
 44 tuta nec in clauso lingua erit ore tibi.
 45 Jam meditor, tunc colla manu, tunc unguibus ora,
 46 et mea tum ferro pectora iniqua petes ;
 47 ipse tuos miser ante pedes commissa fatebor,
 48 et dicam : "In tua nunc injice jura manus."
 49 Sed non injicies, et me complexa fovebis,
 50 et tua miscebis basia multa meis ;
 51 hinc sopor irrepet lassus, resolutaque membra
 52 composito ducent otia grata toro.

QUOD DIE NIMBOSO STELLA NATA SIT

E1_28 v.1 Mira fides, periere rosae, cecidere hyacinthi
 2 et violae, nullis est decor arboribus,
 3 non Zephyris est veris honos : hac luxit, Adoni,
 4 luce Venus miseris decolor exequiis,
 5 hac Charites secuere genas, vulsere capillum,
 6 et nymphae maestis ingemuere modis.
 7 En rursum rubuere rosae, nituere hyacinthi
 8 et violae, ipse suis est decor arboribus,
 9 en Zephyris est veris honos : hac fulxit in ortu
 10 Stella die auratis concolor a radiis,
 11 hac Charites pinxere genas, compsero capillum,
 12 et nymphae teneros concinuere modos,
 13 laeta Venus renovatque faces, natusque sagittas,
 14 et nova de manibus vulnera uterque jacit.
 15 Hinc tamen eventus licuit spectare futuros :
 16 ecce ades aerumnis stella serena meis.

DE AMANTUM INFELICITATE

E1_29 v.1 Vere rosas, segetes aestate, subinde racemos,

2 perque hiemem Genii dona beata legunt ;
 3 Flora rosas, messemque Ceres, Pomona racemos,
 4 inde suas Genius sponte ministrat opes.
 5 At miserandus amans et frigore tristis et aestu,
 6 vereque et autunno nil, nisi triste, legit ;
 7 hinc Amor, inde Venus lacrimas, suspiria, questus,
 8 inde Cupido gravem fundit amaritiem.
 9 Sin quandoque rosas legit, et legit ipse hyacinthos
 10 perque suas sentis, perque rubeta legit.

DE ERIDANO

E1_30 v.1 Heliadum e lacrimis Phaethontiadumque sororum
 2 Eridanus maesto succina in amne legit ;
 3 e lacrimis cum Stella suis lavit ora genasque,
 4 stillat et hinc violas, afflat et inde rosas.
 5 Electro felix, felix violisque rosisque,
 6 Eridane ; e lacrimis sunt tibi divitiae.

AD IOANNEM PARDUM

E1_31 v.1 Non arcum meditatatur Amor, non spicula, Parde ;
 2 et tela et pharetras occupat ipse situs.
 3 Pro pharetra nudis deus utitur ipse papillis,
 4 his tincta Idalio spicula felle latent ;
 5 utitur idem oculis, in vulnera nostra sagittis ;
 6 ex oculis, heu heu, missa sagitta ferit.
 7 Tu vero, quotiens felix in amore papillas
 8 tractabis, sis o sis memor usque tui ;
 9 illic insidias, illic latitare pharetras,
 10 letiferumque illic virus inesse puta,
 11 cumque tibi ex oculis mollis spiraverit aura,
 12 et ferro et flammis pectus inerme peti.
 13 Heu heu, non oculis, non me puer iste papillis
 14 aut petit, aut urit, vel mea corda ferit,
 15 me risu, me Stella capit ; hic ignis et arcus,
 16 hic solus nostro pectore regna tenet.
 17 Nunc ride, formosa, meis nunc ignibus insta,
 18 et mea ridendo pectora molle feri,
 19 molle feri, formosa, trucesque averte sagittas ;
 20 neu sanguis, neu te funera nostra juvent.

AD SYRIANAM

E1_32 v.1 "Dic age, dic, Syriana, deus quis curet amantes ? "
 2 "Nempe Amor." "Ast odit quis deus ? " "Odit Amor.
 3 Odit Amor, quoniam ferrum meditatatur et ignes,
 4 letifera spargens spicula torta manu ;
 5 curat Amor, quod et amplexus et grata procurat
 6 oscula, quod placido gaudia mille toro."

7 "Qui deus hic Amor est ? " "Pacem qui curat et arma,
 8 et pace in media tela cruenta jacet,
 9 haec et acuta jacet, jacet illa retusa ; nec igni
 10 indita certa fides, hic cremat, ille gelat,
 11 urit et hinc flammis torrentibus, inde liquentis
 12 solvit et in latices, illeque et ille dolet.
 13 Talis Amor deus est ; maris hic vestigia servat :
 14 nunc saevit, blandis nunc agit ipse modis.
 15 Nil laetum, nil dulce diu sinit, aut sinit aegrum
 16 instabilisque puer, et puer ipse deus,
 17 imperium crudele, sed indulgentia mitis,
 18 quin mite imperium, sed sine lege puer,
 19 sed sine mente deus. Procul hinc discedat amator :
 20 solus Amor puer est, sola tyrannis amor."

AD AMOREM DEUM

E1_33 v.1 Nulla, puer, sunt tela tibi, non flexilis arcus,
 2 deque tuo nullus vulnere sanguis abit ;
 3 pax colitur, coliturque torus castique penates
 4 et genus et soboles, munus id omne tuum.
 5 Tu vincis animos hominum, tu pectora jungis,
 6 jungis et hinc juvenes, jungis et inde senes ;
 7 non puerile tibi ingenium aut variabile numen,
 8 nec volucres alae, nec levis aura placet ;
 9 sed constans, sed certa fides concorsque voluntas,
 10 scriptaque sub certa foedera lege probas,
 11 nec mens caeca tibi est, caeco seu spicula jactu
 12 moliris, caecum seu meditaris opus.
 13 Omnia certa vides, sunt omnia nota videnti,
 14 nil tibi cum tenebris, nil tibi cum latebris ;
 15 solus Amor videt in tenebris, in luce vagatur,
 16 solus et ignotas novit inire vias,
 17 solus, ubi est iter in bivio, discernit utrumque ;
 18 nulla illi ignota est semita, nulla via.
 19 Perstat, et infixis alte radicibus haerens
 20 crescit, et ipse suas sedulus auget opes,
 21 nec volucres pennas pernicious explicat alis,
 22 sed manet, et stabili perstat ubique pede.
 23 Non igitur puer est Amor incinctusve pharetra,
 24 nec pennas nudus caecave tela quatit ;
 25 sed deus est, qui corda hominum, qui pectora mulcet,
 26 et mulcet gratis illaque et illa modis
 27 quique puellarum mentes regit et regit artem,
 28 et thalami sanctas sancit amicitias.
 29 Nam quodcumque in amore malum, quodcumque molestum
 30 de vitiis hominum semina certa trahit ;
 31 hinc juvenes, illinc peccant et utrimque puellae,
 32 ut contra nequeat sistere solus Amor ;
 33 hinc puer, hinc arcu facibusque armatus et igni,
 34 et caeca spargit spicula caeca manu.
 35 Blande puer, deus ipse, deus facilisque potensque,
 36 salve, Amor, et generis conciliator, have.

DE PALMA BRUNDISINA ET HYDRUNTINA

E1_34 v.1 Brundusii latis longe viret ardua terris
 2 arbor, Idumaeis usque petita locis ;
 3 altera Hydruntinis in saltibus aemula palma ;
 4 illa virum referens, haec muliebre decus.
 5 Non uno crevere solo, distantibus agris ;
 6 nulla loci facies, nec socialis amor.
 7 Permansit sine prole diu, sine fructibus arbor
 8 utraque frondosis et sine fruge comis ;
 9 at, postquam patulos fuderunt brachia ramos,
 10 coepere et caelo liberiore frui,
 11 frondosique apices se conspexere virique
 12 illa sui vultus, conjugis ille suae,
 13 hausere et blandum venis sitientibus ignem,
 14 optatos foetus sponte tulere sua,
 15 ornarunt ramos gemmis (mirabile dictu),
 16 implevere suos melle liquente favos.
 17 Mirum, si ex oculis et Amor sua spicula jactat,
 18 et Venus accensas spargit ab ore faces ?
 19 Mirum, si Eridanus, si vel regnator aquarum
 20 rore suo nostras temperat usque faces ?

DE FESTIS MARTINALIBUS

E1_35 v.1 Martinum conviva saturque et potus adoret ;
 2 hunc nobis ritum Gallia prima dedit,
 3 hunc patres tenuere, tenent nunc Itala regna :
 4 i, puer, et multo pocula tinge mero.
 5 Dive, fave ; nunc te colimus, tua templa veremur,
 6 et numen felix ducimus esse tuum.
 7 Dive, assis ; calathos, famuli, geminate trientis,
 8 instaurent positas fercula crebra dapes.
 9 Numen adest ; geminas video splendere lucernas ;
 10 intueor triplici tempora cincta face.
 11 Dive parens Martine, ades, et tua pocula vise ;
 12 te cyathi et calices, te tua musta vocant.
 13 Euge, pater, bibit ipse pater calicemque supinat ;
 14 quisquis adest, cyathos sumite, adeste deo,
 15 dicamus bona verba, precemur et otia pacis :
 16 pace penus gravida est, vinea pace nitet,
 17 pace fluunt tua vina, pater ; tu Gallica seda
 18 proelia, nam servit Gallia cuncta tibi.
 19 Annuit ipse deus ; pueri nova vina ministrent ;
 20 vos mecum alternas continueate vices.

DE VENERE LAVANTE SE IN ERIDANO ET QUIESCENTE

E1_36 v.1 Laverat Eridani liquidis Venus aurea lymphis,
 2 et fessam choreis presserat alta quies,

3 mulcebant myrti dominam flagrante sub aestu,
4 invitat somnos murmur et aura levis.
5 Aura levis suras furtim nudabat ; at illi
6 in somnis visus pulcher Adonis erat,
7 illius in roseis figebat rapta labellis
8 oscula, et in tenero bella gerit gremio.
9 Hos inter lusus somno dilapsa figura est :
10 ah miseram in lacrimis linqvis, Adoni, deam.
11 Ipsa querebatur ; questum sopor aeger acerbat :
12 "Quo fugis ? Heu quid me, clamat, Adoni, fugis ? "
13 Ad gemitum coeunt nymphae, miserantur amantem,
14 et formam et lacrimas adjuvat ipse sopor.
15 Illius in placido ridebat gratia vultu,
16 fulgebat niveo pectore rarus honos,
17 stillatim ex oculis manabat gutta, genasque
18 signabat tepido flumine gemma fugax.
19 Hic, ut erat Veneri propior, Bundenis ocellis
20 admovitque onychem, siccat et ora manu,
21 colligit et sparsas candenti in pectore guttas ;
22 sed mirata prius pectora subriguit.
23 Exuviis his laeta abiit. Venus excita somno,
24 inter olorinos conspicienda choros ;
25 plauserunt dominae volucres, plausere salicta,
26 summisit canas alnus opaca comas.
27 Ipsa vehebatur cygnis, comitantur euntem
28 Naides, et nitidos picta Napaea sinus ;
29 qua volitat dea, funduntur violaeque rosaeque,
30 ridet humus, vario vernat odore nemus,
31 ambrosiae stillant rivi, Chariteia turba
32 fundit opes Hyblae, fundit, Hymete, tuas.
33 At laetae volucres concentibus aera mulcent,
34 mulcet amor volucres, mulcet amor pecudes,
35 miscet amor fluviosque simul nymphasque lacustres,
36 flumina amant, et amat rustica turba Dryas,
37 arridet caelum Veneri, blanditur et aura,
38 ac resides silvas ipse susurrus agit.
39 At dolet Eridanus, Martis memor : "Heu pater, inquit,
40 armorum, quid te Thessalis ora tenet ?
41 Strymona quid Pindumque colis ? Ne, bellice, cessa ;
42 in Veneris teneros, fesse, recurre sinus ;
43 tota tua est, tibi se compsit dea ; te meus amnis
44 exspectat, tibi nunc regia nostra vacat."
45 Illa, sequens Minci ripas, divertit ad antrum,
46 unde suas versat lubricus amnis aquas.
47 Hic centum niveae ducebant fila sorores,
48 Oceano nentes candida texta patri :
49 accepere deam famulae, pater ipse seniles
50 praetendit gressus, tectaque in ampla vocat ;
51 hic citharae cantusque et pocula lenis iacchi,
52 in luxum et thiasos tota parata domus.
53 Nais at interea Bundenis laeta per hortos
54 errat, et in dextra candidus ardet onyx ;
55 hunc videt, hunc spectat gelida lasciva sub umbra,
56 et sibi de lacrimis facta superba placet.
57 Ecce per adversas anguis se sustulit herbas,
58 sibilus, atque oculis tetra venena jacit.

59 Corruit exanimis nymphe, mens deserit artus,
 60 fusus onyx, lacrimis uda madescit humus.
 61 "Da veniam, Venus alma," rogat ; Venus alma rogantem
 62 audit, et optatam fert dea mitis opem ;
 63 quaque liquor maduit, frondescit amaracus illic,
 64 et grato viridem flore colorat humum,
 65 quaque et onyx, illo candescunt lilia prato,
 66 aemula candori lilia, Cypri, tuo.
 67 Sparge suum florem Veneri, formosa puella,
 68 nec sua non Veneri lilia funde, puer.

DE NISEA ET CHARITEO

E1_37 v.1 Ora Terentiolae myrram flant, pectora nardum
 2 dulcidiae, stacten labra, Liquori, tua.
 3 Colligit haec Nisea simul, conspergit et aura
 4 ambrosiae, quam flat crinibus ipsa suis ;
 5 pyxide mox parva, viridi circumdata myrto,
 6 dedicat, et ponit, Cypria diva, tibi,
 7 optat et ut pariter cum conjugate transigat annos ;
 8 quod Nisea cupit, quod Chariteus avet.

DE VENERE

E1_38 v.1 Evolat e gremio terrae levis halitus, illum
 2 in rorem vertit noctis amica quies ;
 3 e facie tenerae lenis fluit aura puellae,
 4 vertit eam in mentis dulce levamen Amor.
 5 Illius aspersione mulcentur roscida prata,
 6 hujus at afflatus pectora fessa levat.
 7 E gremio spirant telluris flabra, vicissim
 8 quaeque quieta ferant tempora, quaeque mala ;
 9 quos risus, quae det suspiria pectus amantis,
 10 ipsa eadem facies utraque signa dabit.
 11 Cur non e terra, sed de spumantibus undis,
 12 nata sed irato sit Cytherea mari ?
 13 Fluctuat an semper miseri quia pectus amantis,
 14 aestuat et variis mens agitata modis ?

DE VENERE ET ROSIS

E1_39 v.1 Pectebat Cytherea comas madidumque capillum
 2 siccabat ; Charites carmina lecta canunt,
 3 ad cantum Satyri properant, ad carmina nymphae,
 4 carmina de tacitis saepibus hausta bibunt.
 5 Hinc aliquis petulans ausus prodire Dionen
 6 intuitur, docta dum linit ora manu :
 7 erubuit pudibunda, ruborque per ora cucurrit,
 8 occupat et teneras purpura grata genas,
 9 mox interque rosas interque roseta refugit,

10 delitet, et molles spirat ab ore crocos.
 11 Dum spirat funditque crocos, dum purpura fulget,
 12 concipit afflatus daedala terra deae ;
 13 hinc et purpureum flores traxere colorem,
 14 quaeque prius candor, purpura facta rosa est.
 15 Has legite, his tenerae crines ornate, puellae,
 16 Paestano niteat lucida rore coma,
 17 vere rosas, aestate rosas diffundite divae,
 18 spirent templa rosas, ipsae et olete rosas.

AD CARBONEM

El_40 v.1 Fictilibus si cena placet tibi, candide Carbo,
 2 cena parata tibi est, ruraque nostra patent,
 3 et penus, et virides horti, genialis et umbra ;
 4 quasque suas pandit citria silva comas,
 5 vina mihi deprompta et lecta et grata bibenti,
 6 aurea sive probes, seu mage nigra placent,
 7 lenis aquae simplexque latex et fertilis urna,
 8 certet ut inde merum, pugnet ut inde latex,
 9 vernarum mihi fida manus tibi nota ministret,
 10 Marmaricosque agitet barbara turba choros.
 11 Fictilibus tibi mensa abacusque nitescet acernus,
 12 nullus in extersa non erit aede lepos,
 13 in primis frons laeta et grati ad pocula lusus,
 14 et culti et nulla rusticitate sales.
 15 Principio gravidis ponentur lecta canistris
 16 quae tulit autumnus, quae meus hortus alit :
 17 roscida erunt, matura et erunt et sole recocta,
 18 quaeque sua carpsit Antiniana manu.
 19 Hinc ponetur avis, fallacis praeda coloni,
 20 primaque cui nomen ficus amata dedit ;
 21 pingui jure natet salsaque immista suilla,
 22 condiat et tritum lauta patella piper.
 23 De lanio nihil hic, nihil e caupone morare ;
 24 rura dabunt quicquid nostra culina coquit.
 25 Altilis inde capus, raptique a matre columbi
 26 anser et implumis, et bene pastus anas,
 27 post teneret lactens et primis cornibus haedus,
 28 quem corno et ceraso farserit apta manus.
 29 Forsitan accedet callosum tergus et apri,
 30 aut celeris catuli devia praeda lepus,
 31 certus at in veribus fumat jam porcus, obeso
 32 et turdo et merulis atque palumbe satur.
 33 Cuique suus praesto sopor, aut quem caerula limon
 34 temperet, aut quem dant Punica pressa liquor,
 35 seu quem bacca liquat myrti, liquat herba virentis
 36 serpilli, aut dulci corna recocta sapa.
 37 Feltrius accedat tecum ; te culta Patulcis,
 38 illum pro foribus Antiniana manet.
 39 Nec desunt vina et lances mensamque secundam
 40 qui curent, missas nec sine lege dapes ;
 41 nec tibi post epulas deerit praeceptor amorum,
 42 ingenio periit qui miser ipse suo,

43 nec formosa suis quem Cynthie cepit ocellis
 44 contactum nullis ante cupidinibus,
 45 Delia nec lasciva neget tibi carmen et ille
 46 qui cupit in gelidis montibus esse lapis ;
 47 basia vel tibi mille dabit, dabit altera mille
 48 Lesbia, quique senes nullius assis habet.
 49 Tu modo linque forum, linque et vadimonia, Carbo,
 50 tantisper, tibi dum rustica cena datur.

AD FORTEM TERAMANUM CONSOLATORIA

El_41 v.1 Sic quereris, Teramane, dolor sic pectora vexat,
 2 audiat ut questus Daunias ora tuos ;
 3 sic miser erepto sensim tabescis amico,
 4 nulla sit ut lacrimis meta futura tuis.
 5 Pirithoum Theseus, Patroclum flevit Achilles,
 6 sed finem lacrimis fecit uterque suis ;
 7 et mortem Evander nato licet optet adempto,
 8 insiliit maestos non tamen ipse rogos ;
 9 nec minus in patriam, nato moriente, superstes
 10 et caram voluit Nestor adire Pylon ;
 11 Daunus et, extincto crudeli funere Turno,
 12 solatur nati fata cruenta pater.
 13 Nil adeo durum est, quod non sua molliat aetas,
 14 et quem mens nequirit, tempora certa levant.
 15 Adde quod haud lacrimis dignus, sed laudibus ille est,
 16 pro patria voluit quisquis obire sua :
 17 illum, venturis retinentem nomina saeculis,
 18 tollet ab obscura fama perennis humo.
 19 Hac duce Tarpeiam Decius se vovit ob arcem,
 20 Coclitis et virtus hac duce nota fuit ;
 21 hinc duo Scipiadae repetito et vulnere fortis
 22 Porcius, hinc animae, prodige Paule, tuae.
 23 Mars pater, et defensa Jovis Capitolia magni,
 24 et servata suis Vesta verenda focus
 25 illis Elysias sedes tribuere piorum
 26 certa loca ; hic patriae est jura tuentis honor.
 27 Hic honor, haec loca certa tuo concessa Camillo,
 28 pro patria Elysium cui datur omne nemus ;
 29 Hic inter Marsosque suos, priscumque Sabellum,
 30 Romanosque patres, Argolicosque duces,
 31 ostentans decus eximium, sua vulnera, plausu
 32 excipitur ; plausum reddit et omnis ager,
 33 laeta canunt heroes, et alta silentia rumpunt,
 34 fama coronatis celsa vagatur equis.
 35 Quare, age, nec gratas juveni depone querelas,
 36 et lacrimis Parcas hunc onerare tuis.
 37 Ille deo fruitur, fatis melioribus usus,
 38 felix, quem patria fas sit in urbe coli :
 39 quemque coles, Teramane, memor patriaeque tuique,
 40 heroem et culta concine culta lyra.

LIBER II

ARIADNAM UXOREM MORTUAM ALLOQUITUR

E2_01 v.1 Quid querere, o Ariadna ? Tuae non justa querelae
 2 causa subest ; solvit mors sua jura tori.
 3 Liber ago ; si nullo cavet lex, desinit esse
 4 peccatum ; quare desine et ipsa queri.
 5 Lex statuit sibi jus ; cessat jus, lege soluta ;
 6 hinc sunt conjugii libera vincla mei.
 7 Rupit mors laqueos legis, lex morte perempta est,
 8 nulla viri ratio est, vincula nulla tori.
 9 Quid loquor, ah, demens ? Stant et mea foedera tecum ;
 10 junxit Amor dextras, foederis auctor Amor,
 11 Auctor Amor fidei, sistendi et pignoris auctor ;
 12 trans Styga, trans Lethen hic sua signa tenet.
 13 Tu nunc Elysii fulges per amoena vireti,
 14 priscarum et nulli forma secunda tua est,
 15 vel tibi ut invideant, livor si forte beatas
 16 sollicitet, tibi si livor obesse queat.
 17 Hinc patiare licet tantisper ludere nostram
 18 canitiem ; fas sit ficto in amore queri,
 19 dum nos fata vocent, dum te, mihi cara, revisam,
 20 Elysiumque iterum vincula nectat Hymen.
 21 Nec mora longa quidem. Quamquam brevis, ipsa molesta est :
 22 jam venio ; cupidos, o mea, pande sinus,
 23 et thalamos, formosa, para, dulcisque hymenaeos ;
 24 jam propero ; solitos sterne, Ariadna, toros.
 25 Nec tamen ignoro quae sint suspiria amantum,
 26 exspectata tamen gaudia longa manent,
 27 durat amor cuicumque diu suspiria durant,
 28 gliscit et in vero semper amore timor.
 29 Quisquis amat, timet ipse quidem ; timor auget amorem,
 30 auctus in immensum gaudia tollit amor.
 31 Et patiare igitur, fessam miserata senectam,
 32 ludere me gelidi florida ad arva Padi,
 33 ludere me placidos Sebethi ad fluminis hortos,
 34 et canere : "Ad citrios, lucida nympha, veni ; "
 35 et meditare novos iterato foedere somnos,
 36 quaeque virum deceant gaudia, quaeque senem.
 37 Felices somnos, cumulataque gaudia lecti,
 38 illa vel Elysiis cognita sola toris :
 39 te docet Evadne, conjux docet acris Ulixi,
 40 inque viri recubans Laodamia sinu ;
 41 immemor hic Trojae gestique ad Pergama belli,
 42 optatae fruitur conjugis ore suae,
 43 illa memor luctus, memor et consortis adempti,
 44 deliciis pensat damna priora novis.
 45 Hi cito nos erimus (nulla est nam longa senectus),
 46 ipsa eris in nostro Laodamia sinu ;
 47 Pace tua interea Sebethi ad flumina cantem,
 48 saltet et ad numeros Stella decora meos ;

49 pace tua Eridani recinant ad flumen olores,
 50 cantet olorinos Stella secuta modos.
 51 Stella sinu latices fundit, dum sidera fulgent,
 52 e quibus in caelo flumina larga fluunt ;
 53 Stella faces acuit, sol dum tenet edita mundi,
 54 hujus et ex oculis lucida candet humus.
 55 Hanc Charites comitantur, Amor comitatur, et illi
 56 Eridanus flammam hinc, inde ministrat aquas ;
 57 huic quoque tantisper spatium concede jocandi,
 58 Elysium dum nos conciliarit Hymen.
 59 Haec mora parva quidem ; mortem post cuncta perennant,
 60 atque sub aeterna conditione manent.

PUERUM ALLOQUITUR FACULAM NOCTURNAM PRAEFERENTEM

E2_02 v.1 Pone, puer, faculam ; nil est opus indice flamma :
 2 Stella mihi fax est, qua duce, flamma micat,
 3 Stella mihi in tenebris lux est, in luce diurna
 4 Stella mihi speculum, Stella et imago mea est.
 5 Quique meas curas, qui scire incendia poscis,
 6 illius ex oculis singula nosse potes,
 7 illius ex oculis tibi nostra liquebit imago,
 8 quaeque premant curae, quoque et ab igne cremer.
 9 Aera trahit magnes, rapiunt et sidera nubes ;
 10 Stella trahit sensus, cordaque nostra rapit.
 11 Quisquis ades Stellamque vides, mea pectora cerne
 12 in speculo ; speculum pectoris illa mei est ;
 13 illa meos magnes sensus rapit ; illa dolorum,
 14 illa voluptatis fertilis aura meae ;
 15 illa meum sidus, seu sol, seu luna Venusve,
 16 Lucifer illa mihi est, Vesper et illa mihi.
 17 Heu heu, non Vesper, non est mihi Lucifer illa,
 18 non sidus, non sol, luna nec illa mihi est :
 19 Stella mihi tenebrae, Stella est mihi tristis Orion,
 20 est nox cum nimbis, est sine luce dies.
 21 Quisquis amas, age, temne fidem, neu crede puellis ;
 22 deficiet medio sol tibi nanque die.

DE VENERE

E2_03 v.1 Insignibat acu, digitum Venus aurea punxit,
 2 dum tenuis telas pingit, Adoni, tibi ;
 3 effluit e punctu subitus cruor ; hic dea primum
 4 palluit, et viso pene cruore cadit ;
 5 mox abit in lacrimas timor et dolor, effluit imber
 6 e lacrimis, lacrimae pectus et ora rigant,
 7 miscet et his Amor ipse suas, admotus et ori
 8 maternos fletus, matre fovente, levat.
 9 In pharetram tepidus cadit himber, acutaque tingit
 10 spicula ; tum irato coepit ab ore Venus :
 11 "Nil praeter lacrimas vestro de vulnere manet,
 12 tela inimica homini, tela dolenda deo ;

13 sint vobis comites timor et dolor ; eia, age, tela,
14 ferte viris lacrimas, taedia ferte deis."

DE VENERE ET AMORE

E2_04 v.1 "Ne fle, ne, mihi care, oculos corrumpes, tuisque
2 desine de lacrimis sollicitare meas.
3 Me miseram, qui singultus ? Complectere matrem,
4 colla fove, inque meo, fesse, quiesce sinu.
5 Belle puer, quinam lacrimas dolor excitat ? Ubi arcus ?
6 Ah miseram, in pharetra spicula nulla manent.
7 Dic agetum, neu singulti, neu pectora rumpe :
8 quae, rogo, quae insidiae, cujus et iste dolus ? "
9 "Heu, mater, nato indulgens, mihi Dejanilla,
10 mutua quae dederam, reddere tela negat ;
11 haec arcum tenditque manu stringitque sagittas,
12 ipsa gravi dextra spicula nostra jacit."
13 "Singultus age coge, puer, lacrimasque coerce,
14 spicula quo redeant sub tua jura, dabo :
15 hanc auram cape, nate ; oculos hac Dejanillae
16 affla, et Acidalio tinge liquore genas,
17 deque oculis deque ipsa genis dic tendat ut arcum,
18 deque oculis jaciatur spicula deque genis.
19 Arma tibi puero reddat, sit et aura vel arcus
20 vel pharetra, ast ipsi spicula sint oculi."

AD STELLAM

E2_05 v.1 Una eademque faces in me succendis, et una
2 atque eadem glacie pectora nostra gelas.
3 Corda rigent, oculos quotiens avertis iniquos,
4 occupat et subitum pectora nostra gelu ;
5 urimur atque imis fervent incendia venis,
6 spirat ut ex oculis aura secunda tuis ;
7 haec flammam, haec ipsa faces diventilat aura,
8 jam video in flammam pectora abire mea.
9 Verte oculos, age funde gelu, glaciemque, nivesque ;
10 fax glacie ac nivibus, flamma abolenda gelu est.

AD STELLAM

E2_06 v.1 Saepe mihi ex oculis auram flatusque secundos
2 promittisque meae tempora fausta rati,
3 saepe superciliis portum fidosque recessus,
4 ira sit ut placido nulla timenda mari.
5 Cur, o cur Boreas unaque nigerrimus Auster
6 eripiunt portus litora ipsa mihi ?
7 Aeris hoc vitium, vitium commune puellis ;
8 illi incerta fides, his fugitivus amor.

AD CITHAROEDOS

E2_07 v.1 Quique lyram chordasque lyrae, qui carmina nervis
 2 aptatis, dulces et datis ore sonos,
 3 neu numeris, neu vos digitis, neu fidite plectris ;
 4 et numeri et digiti plectraque murmur erunt.
 5 Dum ridet, dum Stella canit blandumque jocatur,
 6 hanc auram, hos vobis conciliate modos,
 7 hac numeros, hac et digitos, hac plectra sub aura
 8 mulcete ; haec vestrum temperet aura melos.

AD THELESINAM DE PUDORE

E2_08 v.1 Erubuit Thelesina, pudorque per ora cucurrit,
 2 et tinxit roseas purpura fusa genas.
 3 Ipse pudor deus est, siquis deus inter amantes,
 4 ipse pudor formae juraque vimque tenet ;
 5 ipse venustatem tribuit pudor, ipse decorem
 6 conciliat, gratos temperat ipse modos ;
 7 ipse sibi pretium formae tulit et decus omne :
 8 venalis species manca pudore suo est.
 9 Hunc igitur, Thelesina, cole ; hic colat intima mentis,
 10 hic tantum formae det sua jura deus.

AD PUELLAS

E2_09 v.1 Desinite, o tenerae, crines ornare, puellae,
 2 desinite o, pexas arte ligare comas ;
 3 diffluat ipse vagus circum sua tempora crinis,
 4 diffluat et mollis per sua colla coma.
 5 Desinite et teneris cultum adjecisse labellis,
 6 lascivosque oculis quaerere ab arte modos.
 7 Ornatus teneris hic sit, Thelesina, labellis,
 8 non nisi grata tuo verba ut ab ore fluant,
 9 his comptus placidis, Venerilla, accedat ocellis,
 10 gratia ut obtutu sit comes usque tuo.
 11 Vis faciem, vis ora simul compsisse, Terinna ?
 12 Suspira, quotiens obvius ibit amans.

AD DEIANILLAM

E2_10 v.1 Basia cum strictis offers mihi clausa labellis,
 2 deque tuo nullus spiritus ore venit,
 3 nescio quid tum triste animum subit, ipsaque nostro
 4 frigescunt tacito basia in ore situ.
 5 At cum rapta sonant mordacibus oscula labris,
 6 mistus et alterno spiritus ore coit,

7 meque color, meque et sensus animusque relinquunt,
 8 inque tuo jaceo languidus ipse sinu.
 9 At tu, cum dederis mihi suavia, consere linguam
 10 inter labra, meo semper et ore fove,
 11 ne pateant animo egressus, ne frigida lingua
 12 torpeat, ipse tuo deficiamque sinu.

AD AMANTES

E2_11 v.1 Ne Venerem in choreis posthac quaeratis, amantes ;
 2 liquit Amor choreas, liquit et ipsa Venus :
 3 in templis Venerem, in templis quaeratis Amorem ;
 4 templa Venus sequitur, templa frequentat Amor.
 5 Hic laeva, at dextra haec astat tibi, Chloris, ad aram,
 6 ex oculisque parant tela facesque tuis ;
 7 altera candentem succendit lampada, quali
 8 urat et ipsa homines, urat et ipsa deos ;
 9 alter et hamatas struit aere rigente sagittas,
 10 insidiasque deum, perniciemque hominum.
 11 A templis, moneo, juvenes, arcete puellam ;
 12 praeda juvat, Chloris praeda petenda Jovi est.
 13 Hei mihi, quid monui ? Templis discedite, amantes ;
 14 en agitat cupidos Chloris in arma deos.
 15 Dum certant, ego te solus spectemque fruarque,
 16 surripiam labris oscula operta tuis ;
 17 dum pugnant, latus usque tuum, formosa, tuebor,
 18 summoveamque homines summoveamque deos ;
 19 aut Amor ipse suis potius te contegat alis,
 20 invideat formae ne qua puella tuae.

AD ARETHUSAM

E2_12 v.1 Innueras, meminique oculis, Arethusa, vocabas,
 2 ex oculisque animi pignora certa dabas ;
 3 nunc renuis malesana, senemque gravaris amantem.
 4 Non e flore seges pomaque lecta juvant,
 5 sed matura juvant ; dos est haec certa senectae ;
 6 flos brevis est, fructus aura senilis alit.
 7 Aura senis geniale bonum, et sine lite voluptas ;
 8 illecebris juvenum fraus adoperta latet.
 9 Tu modo parce seni, moveatque Aurora senili
 10 juncta toro, thalamis laeta puella senis.

AD THELESINAM

E2_13 v.1 Et faciem, Thelesina, cole, et cole, dia, capillum,
 2 et cole florentis arte decente genas,
 3 et pectus, formosa, cole insignemque papillam,
 4 planta quoque extremi sit tibi culta pedis.
 5 Quae, nisi culta, juvant ? Culti laudantur agelli

6 gemma quoque in digitis non, nisi culta, placet :
 7 et cultu laetatur honos, et gloria cultu,
 8 nec, nisi de cultu, laus sua cuique venit ;
 9 templa placent superis, multo quae compta paratu,
 10 ornatum prae se sidera et ipsa ferunt.
 11 Rustica simplicitas sibi sit. Tu, lux mea, cultum
 12 usque fove, et formae sedula confer opem.

AD AMBROSIAM

E2_14 v.1 Sparsisti, Ambrosia, ambrosiam per labra, meisque
 2 suxisti e labris, Ambrosia, ambrosiam.
 3 Suavia tunc etenim sunt suavia, mutua cum sunt,
 4 et dant, et capiunt mutua qui faciunt.
 5 Ambrosiam diffunde, dedi cum basia, suge
 6 cum capis alternis, Ambrosia, ambrosiam.
 7 Suavia sic et erunt tibi basia nostra, mihique
 8 et tua, et ambrosia stillet uterque sua.

AD PETRUM SUMMONTIUM

E2_15 v.1 Summonti, dum culta probas, inculta Neaera
 2 te capit, illaqueans simplicitate sua.
 3 Tantum pexa coma, fususque sine arte capillus,
 4 quem tenui textu linea vitta tegit,
 5 per faciem candor nativaeque purpura fulget,
 6 arte vacat comptus oris, et arte genae ;
 7 mundities sine lege quidem, sine lege nitela,
 8 cura sed ipsa decens, non operosa tamen ;
 9 nil paetum aut petulans oculis, incessus honestus,
 10 et nulla tinctus rusticitate pudor,
 11 frons laeta et facilis gestus risusque sereni,
 12 condit et urbanus singula verba lepos ;
 13 nil ex arte tamen, licet haec ex arte profecta
 14 cuncta putes ; crescit simplicitate decor,
 15 qui te, Petre, capit, capiunt sine labe papillae,
 16 quas vestit tenui fascia linteolo.
 17 Et tu culta probas ? Rudis et male doctus amator,
 18 qui damnes id, quod cara Neaera probet,
 19 qui damnes quod amas ? Tu cultum desere, ne te
 20 deserat incultis culta Neaera modis.

DE MARINO TOMACELLO

E2_16 v.1 Nostra Tomacellus legeret cum carmina, risit,
 2 atque ait : "O quantum desipit iste senex.
 3 Quid tibi cum Eridano, quid cum Bundenide lympha,
 4 quodque et Amor liquido succina in amne legit ? "
 5 Audit Amor, ridetque virum, missaque sagitta :
 6 "Arnus et haec in te spicula torquet, ait,

7 Arnus, ait, cariose senex, tuus haec tibi jactat,
 8 Arnus, nequitiae conscius ipse tuae."
 9 Ecquid amas, male sane senex ? Cumque Arnide lympha
 10 quid tibi ? Num nostro haec nequior Eridano ?

AD FRANCISCUM AELIUM

E2_17 v.1 Non, Aeli, me longa quidem gravat ipsa senectus,
 2 sed quod abest, heu, tot millibus Eridanus.
 3 Ille meos ignis levat et mea vulnera sanat ;
 4 heu, qui sanet, abest, qui levet, ille et abest.
 5 Fundite, Pierides, nimum, qui diluat ignes ;
 6 Stella vel e caelo, quae medearis, ades.

ERIDANUS PHAETONTEM CONSOLATUR

E2_18 v.1 Ambustum Phaetonta rotis solaribus aurae
 2 exceptum fluviis destituere vadis,
 3 suscipit Eridanus, fotumque liquentibus undis
 4 solatur densis clausus arundinibus :
 5 "Parce, precor, Phaeton, lacrimis ; tua vulnera sensit
 6 Saturnus ; summi pulsus ab arce poli.
 7 Cuique suis stant fata locis ; mihi volvitur amnis,
 8 amnis inexhaustis non rediturus aquis ;
 9 Terra tibi est genitrix. Caelum tamen inde petisti ;
 10 ipse docet casus, quid ferat hora sequens.
 11 Expertus patrium decus ingratusque parenti,
 12 cede polo, et tenebris qua potes usque late.
 13 Tutius in parvo vives lare. Sors mihi in amne est.
 14 Et tamen a nimbis a pluviisque petor.
 15 Optasti currus patrios ; excussus ab illis,
 16 vix nostris tutus sedibus hospes ades.
 17 Qui ruit ex alto, praeceps ruit ; ima ruina
 18 nulla est ; e summo qui cadit, ille cadit.
 19 Te casus, te flamma docent, quid jure timendum,
 20 auxilium nostris qui petis ustus aquis.
 21 Hospitio laeti accipimus, dabiturque quod optas :
 22 quicquid opis nostrae est, sub tua vota venit."
 23 Talibus Eridanus. Gemitus hic sustulit heros,
 24 oraque flumineo torrida rore lavat :
 25 "Mi genus exitio fuit incertique parentes,
 26 me studium famae traxit in excidium ;
 27 exul agor caelo pulsus patriisque quadrigis,
 28 ejicit et tellus, ustaque pellit aqua,
 29 solaque in Eridano superat spes." Haec ubi dixit,
 30 illius madidos concidit ante pedes.
 31 Sullevat hunc genitor, solioque imponit acerno,
 32 atque hos caeruleo movit ab ore sonos :
 33 "Est mihi nata tuis annis comes ; hanc tibi trado,
 34 o Phaeton, nostrae pignora certa domus."
 35 Vix haec, cum teneris circum comitata puellis
 36 prodit de thalamis Eridanea patris :
 37 affuit et formosus Hymen, cecinitque hymenaeos,

38 omnis et ad thalamos turba vocata coit.
 39 His Phaeton felix taedis regnavit ad amnem,
 40 et junxit socero scepra superba suo ;
 41 nunc alto positus solio, nunc pressus ad imum,
 42 fortunae instabiles edocet esse vices.
 43 Nos quoque, fatorum leges per utrumque secuti,
 44 solamur cantu tempora nostra senes ;
 45 hinc Amor, inde Venus mulcent, dulcissime Carbo,
 46 ut mihi sint senii taedia nulla mei.
 47 Stella mihi solamen adest, mihi molle levamen
 48 Eridanus, niveas dum canit inter aves :
 49 ipse canit, recinunt cygni, juvat aura canentis,
 50 hos inter cantus en mea nympa venit,
 51 amplexuque senem dignatur et oscula jungit,
 52 et nostra in tenero collocat ora sinu.
 53 Exitus hic vitae, post bella gravisque labores,
 54 sive senecta levis, seu juvenilis amor.

DE ERIDANEA, PASYALE ET STELLA

E2_19 v.1 Inter frondosas salicum requieverat umbras
 2 capta viri illecebris Eridanea sui,
 3 ipsa suo crinem domino pectebat, eburnis
 4 componens digitis marmoreaue manu.
 5 Candida fluminei mirantur brachia cygni,
 6 miratur niveum populus alba decus,
 7 blanditur dominis litus, blanditur et unda,
 8 vernaue odoratis aura strepens foliis.
 9 Mincius ex alia viridem recubabat ad alnum ;
 10 Pasyale in tenero ludit amata sinu.
 11 Ipsa parat sertumque sibi sertumque marito,
 12serta simul violis, pictaqueserta rosis ;
 13 illi Naiades fusaeque per arva Napaeae
 14 selectos flores, lilia cana ferunt ;
 15 comit nympa virum, comit vir et ipse maritam,
 16 ludit et alterno nuptaque virque sinu.
 17 Lusibus his, dum spectat Amor, dum mater Amoris,
 18 ipse et Amor plaudit, plaudit et ipsa Venus.
 19 Ecce procul devecta Pado, Nereidas inter,
 20 Stella micat, radiis Stella corusca suis,
 21 qualis mane novum surgens Cytherea sub ortum
 22 inter clara deum sidera prima nitet.
 23 Pasyale assurgit dominae, conjuncta marito
 24 excipit in mediis Eridanea choris,
 25 laeta canunt cygni, fundit Venus aurea rorem,
 26 ambrosiae Cyprius stillat ab axe liquor,
 27 immistus nymphis interque heroidas errat
 28 blandus Amor, blandis ludit et ipse modis.
 29 Mox ridens : "Quod cantet habet vates meus," inquit ;
 30 telaue de pharetra seligit ipse truci,
 31 altera, quis menti vulnus meditetur amarum,
 32 altera, quis sensus in sua vota trahat ;
 33 excussitque valens. Haesere hastilia ; caecum
 34 mens hausit telum, sensus et ipse labat.

35 Arsisti, Phaeton, flammis ambustus anhelis ;
 36 me tacitae flammae caecus et ignis edit.
 37 Urimur, heu miseri, calidoque in pectore fervet
 38 ignis edax ; in me saevit acerba lues.
 39 Quid queror, ah demens ? Caeco nutrimur ab aestu,
 40 nutrimur flammis, tectus et ignis alit ;
 41 Vita mihi fax est. Venti, spirate frequentes ;
 42 vescimur en facibus, vivimus et Zephyris.

AD BORGIIUM

E2_20 v.1 Sirisium, Borgi, domus est tua, quam rigat amnis
 2 Siris in Herculeis advena litoribus ;
 3 his consedit avus, terra devectus Ibera,
 4 quem procul a patria Martis abegit amor.
 5 Te nec bella juvant, nec te juvat aereus ensis,
 6 parta nec hostili praeda cruore placet.
 7 Otia Musarum sequeris, dulcisque recessus,
 8 proque tuba colitur tibia blanda tibi ;
 9 quin et amas, carmenque tibi juvenile probatur,
 10 Delia et ipsa tuo semper in ore sonat,
 11 nec non Eridanus et opaca Mincius umbra,
 12 Eridanusque tibi, Stellaque nostra placet,
 13 quae nunc, frondosis longe pulcherrima ripis
 14 laeta Padi, ad veteres ludit amans salices.
 15 Immemor, ah quid, Stella, senis, quid ludis et amnem,
 16 praeda futura tuis credula fluminibus ?
 17 Credis Naidibus, credis te, Stella, Napaeis ?
 18 Ista tibi invideant lumina Naiades,
 19 invideant pictae (fallax heu turba) Napaeae
 20 inter formosas, hei mihi, nulla fides,
 21 nulla fides fluviis. Rapuere et flumina nuptas,
 22 tuta nec est ullis, hei mihi, forma locis.
 23 Est tibi Pasyale, simul Eridanea cavenda ;
 24 invidia heu nullis parcit amicitiiis.
 25 Tuta manes formosa domi ; sed parce fenestris,
 26 ad crimen causas ipsa fenestra facit ;
 27 parce et porticibus, templis quoque parce dicatis ;
 28 rara fides templis, raraque porticibus.
 29 Quid timeam, ignoro ; timeo tamen, o decor ipse
 30 rarus ab insidiis tutior esse nequit ;
 31 me cygni terrent plumae, meque aureus imber ;
 32 sub terris aditus et sibi fecit Amor.
 33 Tu vero segura domi solabere fuso,
 34 et curas animi candida mente leva :
 35 non prodit thalamis Aurora, absente marito,
 36 inter et ancillas pensa columque trahit,
 37 exspectatque senem redeuntem ad munera lecti,
 38 exemplum certi cauta puella tori.
 39 Haec, Borgi, dum nostra legis, dum carmen amorum,
 40 fac nullam teneas esse in amore fidem.
 41 Quicquid amas, fruire inque diem, neu differ in annos ;
 42 ni matura legas, post modo poma cadunt.

POMONAM ALLOQUITUR

E2_21 v.1 "Dic age, dic, Pomona (tuis sic semper in hortis
 2 praeanteant ramis pendula poma suis),
 3 dic age, dic : cultis errat dum Stella rosetis,
 4 dum carpit violas, dum legit ipsa rosas,
 5 qualis per flores et per vernantia culta
 6 visa tibi, quales ore referre deas ? "
 7 "Talis per flores, qualis per sidera fulget
 8 Lucifer, Eois dum micat ortus aquis.
 9 Lilia nudatae vincunt candore papillae,
 10 Puniceasque genis purpura fusa rosas,
 11 qualis Acidaliis Cytherea vagatur in hortis,
 12 textile dum capiti nectit, Adoni, tuo.
 13 Marmoreum digiti referunt candore nitorem,
 14 quaque movet gressus, florida ridet humus ;
 15 Paestanumque per ora fragrat decus, inter odores
 16 fundit et ipsa suos, ambrosiasque suas ;
 17 et, quotiens tenerae saliunt de veste papillae,
 18 spirat odorato mollior aura sinu ;
 19 illius ex oculis Zephyri mulcentur, et aer
 20 fundit ab afflatu gaudia laeta suo.
 21 Talis erat, cultis errat dum Stella rosetis,
 22 Stella tuis, vates, nobilitata jocis ;
 23 quam Venerem dicas, unum ni distet : ocellis
 24 Stella gerit Charites, Cypris agit comites."
 25 Quis nunc, teste dea, nostros incuset amores,
 26 seu vir, seu seram femina canitiem ?
 27 Felix canities, cujus requiescit in ulnis
 28 sive Venus, similis sive puella deae.
 29 Nostra Tomacellus damnet nunc carmina, damnet
 30 Eridanum et socias increpet Heliades.
 31 Necte, puer, myrtum, myrtoque intersere rorem,
 32 ornet amatorem picta corona senem,
 33 deducantque senem juvenes, mihi femina plaudat :
 34 "Digne senex stellis, digne favore poli."

DE PATULCI ET NIVANO

E2_22 v.1 Fessa sub Hesperidum ramis formosa Patulcis
 2 ducebat somnos, et gravis aestus erat ;
 3 spirabant Zephyri, Zephyris strepit aurea silva,
 4 silva ciet somnos, et sopor ipse juvat.
 5 Ecce Nivanus adest, non exspectatus amator.
 6 Dum puer in volucres retia tenta parat,
 7 exsilit haec somno, puerumque amplexa locavit
 8 blanda toro, blandis perfruiturque jocis.
 9 Decipit heu fallax spes et frustratur amantes ;
 10 saepe in amore tamen sors sua cuique favet,
 11 sortis Amor comes est, sors et comitatur Amorem ;
 12 quisquis amas sorti, credite, compos eris.
 13 Aurum multa potest, multum lacrimantia verba,

14 praevalet haec ipsis et pretio et lacrimis ;
 15 temporis haec spatio gaudet ; vos tempora laeti
 16 expectate, suo tempore laeta venit.
 17 Sorte sua bello reges potiuntur, opimis
 18 victorum victor gaudet et exuviis.
 19 Sorte triumphat Amor, sortem veneremur amantes :
 20 ipsa seni et cupido, candida diva, fave.
 21 Quanquam, Stella, mihi sors est tua certa voluntas,
 22 haec spes, haec tempus, haec sine fraude fides,
 23 nobis Eridanus, nobis et Mincius umbra,
 24 blanditurque suis Pasyalea vadis ;
 25 sors igitur nobis sit mutuus ardor amandi,
 26 mutua sors, certa simus uterque fide.
 27 Tempora qui spectant, amittunt tempora ; dives
 28 temporis est, nullum qui sinit ire diem.
 29 Nulla dies sine amore fluat, nox occupet umbras
 30 deliciis, luces occupet ipsa dies ;
 31 Nox lucem, tenebras pellat lux inter amandum ;
 32 vita brevis ; profert tempora laetus amans.
 33 Vivit, amat quicumque suoque potitur amore ;
 34 non vivit fructu quisquis amoris eget.

DE SEBETHO

E2_23 v.1 Cantabat vacuus curis Sebethus ad amnem,
 2 si vacuum sineret perfidiosus Amor :
 3 "Ipsa veni ad salices et opacae umbracula vitis,
 4 ipsa veni ad nostros, culta Labulla, modos :
 5 en hic caeruleae saliunt per litora nymphae,
 6 ludit et ad fontes picta Napaea meos.
 7 Culta Labulla, veni, sunt hic tibi sarta parata,
 8 nexa simul calthis, juncta simul violis,
 9 lilia servantur canis praelata pruinis,
 10 quaeque meis jactat se melilotos agris,
 11 fragaque servantur summo mihi lecta Vesevo,
 12 fraga Maroneis mane petita jugis.
 13 Sunt etiam geminae frondosa in vite cicadae,
 14 cesserit his cantu vel Philomela suo ;
 15 hae tibi munus erunt, et erunt tua munera ranae,
 16 quae mecum ad salices carmina culta canunt.
 17 En audi, ad salices, formosa Labulla, venito ;
 18 dum canimus, volucres duc, age, et ipsa choros.
 19 En sternunt niveae muscosa cubilia nymphae,
 20 o ros in pratis ipsa futura meis."
 21 Talibus ille suis incassum clamat ab antris,
 22 incassum ad salices murmura vana jacit.
 23 Non mihi ad Eridanum, mihi non ad Mincida ripam.
 24 Non opus ad salices : "Lucida nympha, veni ; "
 25 nil opus est cantu, nec picti munere serti,
 26 nec quae de ramis rauca cicada canit.
 27 Tantum opus obsequiis. Sponte en mihi candida fulget
 28 in thalamis, nostro Stella corusca toro,
 29 sponte meo cubat ipsa sinu. Mihi plaudat ovanti
 30 ipse Amor, e curru plaudat et ipsa Venus.

AD MATRONAM

E2_24 v.1 Quid rides, matrona ? Senem quid temnis amantem ?
 2 Quisquis amat, nulla est conditione senex.
 3 Quisquis amat, juvenem par est, matrona, vocare :
 4 at qui nullus amat, jure sit ille senex.
 5 Tempus habet metas, et constat tempus ab annis,
 6 et peragunt annos sidera cuncta suos ;
 7 solus Amor nescit tempus, nec subjacet annis,
 8 aevo sed fruitur, perpetuusque manet.
 9 Quid mihi nunc annos objectas, quidve senectam ?
 10 Nullus Amor fines terminat ipse suos.
 11 Te, matrona, decet metiri tempora, quam nec
 12 ullus amat, nec scis praeter amare merum.

AD STELLAM

E2_25 v.1 Ferrum Hebrus, ferrum Thybris colit acer et ingens
 2 Euphrates, ferrum Rhenus et Ister amant ;
 3 at pace Eridanus gaudet studiosus amantum,
 4 et thalami et pacis munia lenis obit.
 5 Eridano pia vota pii reddamus amantes,
 6 fumet odoratis ara verenda focis.
 7 Tu vero, mea lux, (etenim tibi cultus Amoris
 8 tantus inest) aris debita solve sacris,
 9 Eridano benedic detectis compta papillis,
 10 compta sinu, pexis non sine lege comis ;
 11 mox Genio da thura, facesque incende Sabaeas,
 12 et mihi delicias, nocte ineunte, para.

AURAS ALLOQUITUR

E2_26 v.1 Dicite, felices aerae, Bundenidis undae
 2 quae colitis ripas, quaeque et amoena Padi,
 3 dicite frondentes quid agat meus ignis ad alnos,
 4 aut quid ad Argentae moenia litoreae.
 5 An memor absentes tacitos suspirat amores,
 6 et vetus est illi vulnus, ut ante novum ?
 7 Rara quidem virtus, constans amor. Hoc tibi nomen,
 8 Stella, dedit, stabilis quod tua cura manet.
 9 Scilicet et memor es tantorum grata bonorum,
 10 quae tibi noster amor munera multa dedit ;
 11 praesentemque senem faciunt tibi munera nostra,
 12 quodque et amor jubeat, gratia et ipsa simul.
 13 Heu heu, nec strepitis, frondes, aeraeque, siletis,
 14 et mutae in cursu conticuistis, aquae ;
 15 nil mihi responsant aerae, tristesque silescent ;
 16 criminis est taciti conscius ipse pudor,
 17 immemor ah cur, Stella, senis, cur ludis ad alnos

18 Argentae ? Immemorem munera te faciunt.
 19 Scilicet est pretiosus Amor, venalis amantum
 20 spes, et in ambiguo victa fides pretio.
 21 Immemor ah veteris, capitur mercede recenti
 22 quaeque puella, novus subdita muneribus.
 23 Venalis species, pretiosa est forma, decorque :
 24 nimirum pretio quaeque puella subest.
 25 Venditur en auro caelum, venduntur et astra,
 26 Stellaque nostra novo munere capta venit ;
 27 vendit Amor mercesque suas mercator avarus,
 28 institor et fallax, ales et ipse rapax.
 29 Ite, redite, aurae, meaque haec maledicta referte :
 30 "Venisti pretio capta, puella, senis,
 31 venisti et juvenis ; juveni vetus ipsa rependes
 32 mox pretium. Has poenas da levitatis, anus.
 33 Haec sors est in amore, et sunt haec mutua amoris :
 34 quae vendit juvenis, post emit ipsa senex."

DE STELLA

E2_27 v.1 Funditat e caelo radios Latonia Phoebe,
 2 quis teneros foetus floridaque arva rigat ;
 3 funditat et radios Phoebus, quibus omnia lustrat,
 4 calfacit et flammis quaeque creata suis.
 5 Stella mihi sol est, eadem mihi roscida luna ;
 6 hinc fovet et flammis, irrigat hinc et aquis.
 7 Stella eadem ferit ex oculis, oculisque medetur ;
 8 haec mihi et hostis Amor, haec et amica Venus.

DE STELLA

E2_28 v.1 Qualis flavescentes Zephyrus permulcet aristas,
 2 Sirius ardenti dum coquit aura face,
 3 qualis languentes liquidus ros excitat haerbas,
 4 dum fremit horrenti fervidus ore Leo,
 5 talis et aerumnas risu fugat et levat aestus
 6 Stella meos, risu Stella jocosa suo.
 7 Hujus enim risus mihi ros est, hujus ab ore
 8 aura venit, Zephyris lenior ipsa suis.
 9 Aura, fave, foveasque senem, Zephyrique, favete,
 10 et foveant risus, Stella benigna, tui.

AMANTES ESSE MISEROS

E2_29 v.1 Sol hiemes, sol aestates moderatur, et idem
 2 tempus agit noctis, tempora lucis agit ;
 3 talis Amor, rixas idem pacemque procurat,
 4 idem laetitiam tristitiamque movet.
 5 Sol aestus, sol et glaciem tenebrasque diemque ;
 6 diverso tamen haec tempore cuncta facit :

7 ast turbas requiemque simul, lacrimasque jocumque
 8 miscet Amor, nullo tempore certa gerens ;
 9 semper enim variat dubius, semperque vacillat.
 10 Quam miser est omni tempore quisquis amat.

DE THELESINA ET PUDERICO

E2_30 v.1 Ecce venit Thelesina ; Venus comitatur Amorque ;
 2 parce, puer, pharetrae, tu, dea, parce faci.
 3 Ipsa feri, Thelesina, oculis ; vos parcite telis ;
 4 ipsa oculis jacias tela facesque tuis.
 5 En et adest Pudericus ; Amor, ne stringe sagittas,
 6 conde, Venus, faculas ; tu, Thelesina, feri.
 7 Prima quidem sint tela oculi, quis corda sagittas,
 8 et dicas : "Amor haec tela cruenta jacit."
 9 Altera tela, faces risus sit, Cypridis arma,
 10 risus amatoris vincula certa tui.
 11 Haec ubi, dic Veneri, dicas, Thelesina, et Amori :
 12 "Hic meus est, telo concidit iste meo,
 13 arte mea curandus et est." Mox pallia dextra
 14 rejice, et ornatos candida pande sinus,
 15 ac rursus formosa oculis risuque ferito,
 16 qualis Achillea plaga iterata manu.
 17 Namque et Amor, geminata facit dum vulnera, sanat :
 18 ut sanes, iterum, bella puella, feri.
 19 Ne qua tamen veteris plagae sit forte cicatrix,
 20 hanc line mox linguae blanda liquore tuae,
 21 oscula neu cessent etiam geminata. Superbit,
 22 quae dare cum possit plurima, pauca negat.

AD MARCUM ANTONIUM SABELLICUM SCRIPTOREM HISTORIARUM

E2_31 v.1 Dum Venetum historias, dum bella, Sabellece, narras,
 2 et scriptis ornas tempora nostra tuis,
 3 dum memoras tot gesta virum terraque marique,
 4 assonat et plausu terra salumque tibi,
 5 interea nos fata gravant, fors improba vexat,
 6 decidit eque suo nostra senecta gradu.
 7 Non jacet ipsa tamen, casu nec territa tanto
 8 mens mea, nec variis corrui icta malis ;
 9 nec fortes fortuna premit, quin erigit, et me
 10 tollit humo, quotiens saevior ipsa furit.
 11 Orbavit nato carisque nepotibus, at non
 12 orbavit mentis robore, non animi ;
 13 orbavit genero, non mente, aut corde. Probatur
 14 igne aurum ; vitium decoquit ipse focus.
 15 Amisi geminos terrarum lumina reges,
 16 in quibus heu patrium jus mihi pene fuit,
 17 amisi sociamque domus dominamque cubilis,
 18 partem animae (major pars erat illa mei) ;
 19 non me discussit belli tremor, Alpibus acta
 20 tempestas, non me Gallicus ille furor,

21 unde meis partus studiis honor et decus, heu heu,
 22 eripitur primus et sine labe locus.
 23 Non tamen infractive animi dejectave virtus
 24 concidit, aut cessit qui fuit ante vigor,
 25 stant et opes animi validae ; ridemus iniquas
 26 Fortunae insidias instabilisque vices.
 27 Utendum ingenio, nitendum pectore, mente
 28 praestandum, ne fors saeva nocere queat.
 29 Quin et, si noceat, pulsanda injuria ; nullus
 30 sponte ruat ; miser est qui ruit ipse volens.
 31 Quin etiam duros casus inopemque senectam
 32 solamur cantu Pieridumque modis,
 33 et nunc Sebethi gelidos spectamus ad amnes
 34 hinc illinc socias ludere Naiadas,
 35 et nunc Lucrini madidas de fonte puellas
 36 ad speculum flavas arte ligare comas ;
 37 nunc nos ad virides vocat Antiniana recessus,
 38 et vocat ad primas blanda puella rosas,
 39 nunc offert sese choreis spectata Patulcis,
 40 laeta suis hortis, laeta Patulcis agris.
 41 Nil agro uberius, nil est felicius hortis ;
 42 utraque me immemorem res facit esse mali ;
 43 rura mihi sunt ver, sunt horti florida veris
 44 tempora, deliciis et mihi vernat ager.
 45 Haec inter varias vario de flore corollas
 46 nectit amatori Stella benigna suo,
 47 olim ignis, nunc vel senii mihi dulce levamen,
 48 et fax in tenebris Stella corusca mihi.
 49 Quin veteris memores sortis de pectore curas
 50 ejicit ipse recens et redivivus amor ;
 51 quique senex, quique et fatis jactatus, amare
 52 ipse potest, fatum vincere et ipse potest.
 53 Hic ego sum gravis ipse annis, gravis ipse senecta,
 54 fortunaequae minis exagitatus amo,
 55 et modo Pausilipi scopulos, modo culta Vesevi
 56 impleo non solitis litora carminibus.
 57 Hinc referunt valles, hinc prata virentia reddunt :
 58 "Stella, senis lacrimis, Stella, vocata veni.
 59 Me miserum, Eridani retinent te frondea rura,
 60 Argentae retinent moenia grata tibi ;
 61 sed nec te retinent, et amor senis urget amantem,
 62 inque meos properas, lucida nympha, sinus.
 63 O ades exspectata, senem complectere, meque
 64 blanda fove, et socio fessa quiesce toro,
 65 qualis ad illecebras cani regressa mariti
 66 aurora optatos laeta petit thalamos."
 67 His casus solorque meos fragilemque senectam ;
 68 Delia nulla mihi, nulla Corinna seni est.
 69 Ficta juvant ; quae nostra tamen patientia fatum
 70 aut fugit, aut mollit, si superare nequit.
 71 Tu vero decus historiae, cultissime Marce,
 72 dum sequeris, quae te gloria rara manet,
 73 neu nugas contemne meas, neu despice lusus,
 74 qui mea fortunae vulnera cruda levant ;
 75 nanque et opem morbis contraria saepe tulerunt,
 76 et saepe insolita venit ab arte salus.

AD UXOREM MORTUAM DE OBITU LUCII FILLI DEPLORATIO

E2_32 v.1 Nona mihi, conjux, agitur vindemia, cum te
 2 abstulit immiti funere avara dies.
 3 Interea, memor ipsa tori lectique jugalis
 4 et rara culti cum pietate viri,
 5 ludebas mecum in somnis, et adesse solebas,
 6 alloquio et curas ipsa levare meas,
 7 ipsa gravis casus et solabare dolentem,
 8 ipsaque miscebas gaudia nostra tuis ;
 9 omnis erat mea cura tibi communis, et omne
 10 sive voluptatis, sive doloris opus ;
 11 viva mihi in tenebris obversabare, et obibas
 12 viva domus munus officiumque pium.
 13 Quaenam haec invidia est ? Mihi quis deus obstitit, ut tu
 14 desereresque virum, desereresque senem ?
 15 Non mihi te solitae noctes, non somnia reddunt,
 16 ventitat ad thalamos umbra nec ulla meos.
 17 Quo manes illi socii, tua dulcis imago ?
 18 O sors, o fati tempora iniqua mei,
 19 o conjux male grata seni, male grata marito,
 20 sola tuis, conjux, dedita deliciis.
 21 Elysiis ipsa in campis per roscida prata
 22 tu modo cum nato laeta vagare tuo ;
 23 illi contexisque rosas, contexisque hiantem
 24 narcissum et violae lilia cana nigrae ;
 25 illi purpureos mixtim jungis honores,
 26 spargis et ambrosio docta liquore comam ;
 27 quin et perpetuum Parcis servas amaranthum,
 28 quique etiam flores punica mala ferunt.
 29 Scilicet has tibi blanditiis, has grata corollis,
 30 has tibi placasti sedula muneribus,
 31 quo natum, avulsumque sinu colloque parentis,
 32 ipsa tua teneas sub ditioe tuum.
 33 Quaenam haec invidia est, simul et consortia nostra
 34 liquisse, et natum surripuisse patri,
 35 et baculum eripuisse seni ? Verum utere, conjux,
 36 sorte tua felix, sorte beata viri,
 37 deliciis fruire Elysiis, fruire optima nati
 38 blanditiis, matris perfruire ipsa bonis,
 39 maternos imple affectus ; sedisque beatae
 40 dona fluant nato mellaque lacque tuo.
 41 At mea canities et despectata senectus,
 42 orba suo innisu, non ope fulta sua,
 43 nuda jacebit, egens, et desolata nepotum,
 44 sola toro ac mensis, sola die ac tenebris.
 45 Non haeres mihi, non nostro qui sanguine crescat,
 46 quique suum blanda voce salutet avum,
 47 ante focumque hiemes nec qui soletur iniquas
 48 garrulus, et nostros lusitet ante pedes.
 49 Desertum thalami, deserta cubilia et ignes,
 50 quaeque viris fuerat porticus ante frequens ;
 51 omnia sunt male amica seni ; non aura, nec umbra,

52 non citharae, aut cantus, non juvat ipse sopor,
 53 non choreae, non sarta placent ; quaeque aura nepotum
 54 sola juvat, soli nulla relicta mihi,
 55 non spes venturae prolis. Tuque, o mea conjux,
 56 his succurre malis, et mea damna leva.
 57 Mecum ergo in tenebris, mecum thalamoque toroque
 58 nocte ades, amplexus et pete nocte meos :
 59 o si quos nati amplexus, si qua oscula tecum
 60 attuleris, si quos illius ore sonos,
 61 non mihi canities gravis aut sit iniqua senectus,
 62 sed somni faciles auraque et umbra juvent.
 63 Hoc mihi praestabunt sopor et tua lenis imago,
 64 hoc vitae, hoc mortis mite levamen erit ;
 65 nec mihi defuerint tolerandi exempla doloris,
 66 quaeque usus docuit, monstrat et ipsa dies.
 67 Omnia naturae sub legibus orta tenentur,
 68 et quis principium est, his quoque finis erit ;
 69 utque diem nox atra rapit, sic lumina vitae
 70 exstinguit letum, cunctaque morte cadunt.
 71 Hora tamen nec certa, et vitae terminus anceps ;
 72 quamquam incerta, suo tempore et ipsa cadunt.
 73 Mille simul sociis vestitur floribus arbor,
 74 ad fructum veniunt paucula poma suum ;
 75 nec mortis tamen una via est ; haec grandinat aer,
 76 his nebulae, ast illis ventus et aura nocent,
 77 pluribus exitio est aestus glaciesve nivesve,
 78 haec uredo necat, halitus aut nocuus,
 79 contrahit e caelo vitium pars maxima, partem
 80 decutit e ramis vis inimica suis.
 81 Haec eadem vitae ratio : mors undique saevit
 82 lenta aliis, aliis praeproperata venit.
 83 Naturae imperio morimur ; parere necesse est ;
 84 imperium lex est ; lex ratione viget.
 85 Hanc sequimur, dux haec vitae rectique bonique,
 86 qua sine nil rectum, nil queat esse bonum.
 87 At rerum ratio, lex, et natura, bonumque
 88 conveniunt in idem jus et idem retinent ;
 89 nec mors naturam refugit legemve, sed illis
 90 paret, et obsequio fungitur usque suo.
 91 Hinc mortem tolerare decet, ratione magistra,
 92 quae doceat cineri nulla subesse mala :
 93 Mors igitur toleranda, mali sibi nescia, cum sit
 94 ipsa quies hominis, sitque quietis opus.
 95 Hinc ego felicem tete, nate, auguror et me
 96 jure et utrumque sua commoditate frui ;
 97 te, quod defunctus vitae videre periculis,
 98 me, utar quod patria conditione pater.
 99 Tu vero, caelo positus, radiantia cernis
 100 astra, prius patrio nota magisterio,
 101 atque iterum divum effigies et munera monstrat
 102 Uranie, illa tuo cognita Musa patri.
 103 Ergo, nate, tibi parta est de morte voluptas,
 104 atque aevo frueris, perfruerisque Deo.
 105 Siquid vero ex morte mali quidve inde doloris,
 106 est patris officium, ducere id esse meum,
 107 quod fructu careo vitae, quod adempta propago,

108 quodque ipsi steriles et sine fruge sumus ;
109 quanvis et nostros sedet Tranquilla dolores,
110 dignaque neptis avo, nataque digna patre.
111 Solatur sed me, tibi quod jam parta beatae
112 sors vitae est, nulli conculienda malo,
113 solatur quod et ipse brevi te consequar, una
114 visurus summi lucida tecta poli,
115 visurusque Deum, caelique in parte receptus
116 conjuge cum cara secla perennis agam.